# AD INCLYTAM MARGARITAM BITVRIGVM, ALLOBROGVM, SVBALPINORVM DVCEM.

## Pontii Renaldi Draguinianensis Assertiones.

Ex vniuerso orbe Philosophię depromptæ, & qua methodo sit formandus, qui beatus homo futurus est, contextim digestæ.




IN MONTE REGALI
Excudebat Leonardus Torentinus,
M D LXV.

# DIVAE MARGARITAE PONTIVS RENALDVS D.D.



AVFVGERANT olim Musę ab hominum consuetudine, & ab humanis cœtibus penitus recesserant, quia pariter ab omnibus sese desertas viderent, & feros mortalium animos, Marti magis quàm illis sese deuouere; vnde bellis sæuissimis, quę tunc inter gentes vigebant perterritæ (quibus nihil magis cōtrarium esse potest) ad hunc usq; diem in Parnaso, sicuti Poetæ canunt, sponte exularant, vt procul ab omni insultu & strepitu, instar apum syluestrium, ibi suos dulcissimos liquores & funderent, & solæ (nobis hic ieiunis relictis) in illo tranquillo otio fruerentur. Sed postquam Tu (Diua MARGARITA) diuinitus e cælis ad nos demissa fuisti, vt concitatos, & efferos omnium gentiū, Regum & totius orbis potentissimorū animos alioquin implacabiles demulceres, largos & horrendos humani sanguinis imbres sisteres, vniuersiq; mundi Primates in maiorem amicitiam & affinitatē, quàm olim discordiæ fuissent, adstringeres, & ita gentium omniū, & populorum (quod omnis posteritas est commemoratura) inimicitias extingueres, nec non in pristinum amorē pacem & societatem conciliares: tandem & ipsas quoq; musas, quas bellum & arma procul a nobis fugarant, cum totius orbis pace (cuius tu sola autor fuisti) reuocasti inter mortales, & postmodum ad nos regressæ, tandiu se penes reconditos Thesauros adeo effusè hominibus nostri æui effunde-

rę cœperunt, ut non amplius supersit quòd Chaldęis, Græcis, Aegyptijs, & Latinis nostrum hoc sæculum inuideat. Et non solum ferè deperditas liberales artes, & Philosophiam vbiq; gentium instaurasti, (cum otium, & quietē orbi penitus vniuerso feceris, quibus in primis opus est ad disciplinas comparandas) sed etiam abs te semel instauratas ita foues, cum in nostra Gallia, tum & in his partibus, & literarum candidatos ita benigniter amas; ut & obscuriorum animos ad altiora prouoces; Postquam illis uirtutis medio in tui gratiam aliquādo sese insinuaturos spem relinquis. Hac ergo tanta sorte, quæ mea tempestate contigit, ego uti uolens, quasdam totius Philosophiæ semel iam à nobis quoquo modo degustatæ Theses, quas tuendas proposuimus, tuo Sacro Nomini dedicare sum ausus, quo ne dum conclusiones ipsas, sed & illarum cuiusq; exactę probationes & demonstrationes a nobis sponte fuerunt adductæ; quasi in breuiter perstringendo & contextim ordiendo quodam totius philosophiæ sacrario & thesauro præludentes nos exercere, tum & ita maiorem disputandi campum relinquere uoluerimus. Quæ quidem rudia meæ mentis delineamenta si ab ea, qua donata es benigna manu non recusari fuerit a Dijs aliquando concessum, ad delibatiorem studiorū meorum elaborationem animum promouebis. Postquam nihil unquam aggredi polliceor sine tuo fauore, præter quem nec ipsis quidē Musis, quarum es proculdubiò prima Calliope, gratum fore confido. Vale.

# ASSERTIONES COMMVNES DE SCIENTIARVM INTRODVCTIONE IN HVMANVM VSVM ET FOELICITATEM.

1 

*VNC vnum quodlibet in suo genere perfectum est, quando sibi ingenitas vires in actum et lucem educit.*

2 *Itaq; si homo beandus et suis numeris absoluẽdus erat, profectò quas inter naturas mortales proprias facultates sibi retinet intellectum & uoluntatẽ quò feruntur conduceret oportebat.*

3 *Illum inquam in simpliciter veri cognitionem.*

4 *Hanc autem ad id quod verè bonum est operandum.*

5 *Quibus comparatis suam fœlicitatem, quam omnes per tot rerum discrimina quærunt, consecuturus erat.*

6 *Neutra tamen harum facultatum statim a natiuitate obiecto suo poterat vniri,*

7 *Instar omnium aliarum animæ virium,*

8 *Quæ statim habent a primordio ad nata sibi instrumenta, congruentia media, necnon obiecta, quæ derepente sese offerant vt quàm primum natæ bono suo fruantur.*

9 *At illæ ab exortu sunt procul a fine quem expetunt.*

10 *Impeditur enim intellectus primo quia sit ea lege nobis adstrictus ut nihil ueri poßit apprehẽdere, quin prius fuerit in sensibus, et per phantasiam uix tandem in mentẽ delatũ.*

11 *Rursus cum sit sua natura diuinus, momento omniũ intellectiuus, immobilis simplex, & undequaq; sibi vniformis, Hominibus immersus turbatur ob materiæ craßitudinem, instabilitatemq;,*

*Sen-*

12 Sensilium multiplicitatem, phantasiæ nostræ in varias & sæpe contrarias opiniones distractionem.

13 Et tandem apprehensionis humanæ debilitatē, quæ nisi primo ab effectis ad causas, a causis rursus ad effectus discurrendo quicquam percipere valet.

14 Voluntas autem sæpe labefactatur de suo, quod expetit, bono.

15 Quia cum soli rectæ rationi minime subiugata sit sed & cōcupiscentiæ:

16 Fit ut rarò quod re vera bonum est, sed magis quod sensibus apparens est, appetat & sequatur:

17 Imo vice boni quod quærit contrarium malum & noxiū sæpe sibi carius comparet.

18 Eguerunt itaq; studio & arte aduersus hæc suffragia sibi parare, quæ natura dare primo exortu recusarat.

19 Intellectus nimirum regulas tutò ratiocinandi, & minus quàm fieri possit difficili negotio verum disquirendi, & a falso secernendi.

20 Et illud quidem per vniuersam philosophiam, quam quidē rerum omnium ueritatem inquirentem speculatricem uocāt. Illos autem canones sub una logica conclusit.

21 Voluntas autem ex seipsa ratione vacans, a recta ratione iam bene verum edocta, est mutuata:

Legem quid interea, quæ nostri iuris sunt & potestatis boni uel mali sit prosequendum aut fugiendum, fallaces appetitus moderādi, & demum fœlicitatem comparandi. Et illud omne sub ea philosophiæ parte, quæ dehinc fuit morum & actiua denominata.

22 Sed nemo solus ad beatam vitam sufficiens erat sine societate.

23 Cui nati sumus omnes.

Prouisum ergo necessario fuit ut beatæ societates & ad bene beateq; viuendum sufficientes Resp. componerentur, sub ea parte quam ciuilem & politicam vocarunt.

24 At maior pars ciuitatis rudis & popularis, inhabilis erat ad rectā uiuēdi institutionē sub nuda philosophia suscipiendā:

Sub

*Sub rerum ergo ſenſilium & apparentium fabulis, & harmonico tanquam magis delinitiuo dicendi genere recitatis illis exhibenda fuit, Vnde poetica originem traxit.*

25 *Verum nimis adhuc erat difficile homines vnanimiter degere propter nimium cuiuſq; in ſuas res peculiares ſtudium, nimia enim de ſe cuiuſq; membrorum cura communem ſocietatem deprauat;*

26 *Introducta fuit ergo quædam animos hominum in cõmunem vtilitatem deliniendi ratio, & quæ poſſet in rebus ambiguis auſcultantibus vtramuis ſententiam magis uel minus perſuadere & in eam mouere; Quam Rethoricã vocarũt.*

27 *Manca tamen adhuc erat ſors hominis & vita niſi tot iniuriæ quibus eſt obnoxia repararentur*

*Suſcitarunt ergo medicinam, cui ſanitatis humanæ cura, quæ maxime refert eſſet demandata.*

*De his ergo diſciplinis, quæ homines componunt, qui ſint aliorum regula ſecundum comuniores locos dicere placet. Cæteris libenter omiſſis: quæ uel ad neceſſitatem, uel ad iucunditatem vitæ faciant, ſunt uel illiberales uel illis homo fœlix facile carere poteſt.*

*Exordiemur autem a ſpeculatiua philoſophiæ parte,*

28 *Quæ actiua tanto dignior et cõmunior, quãto mens uolũtate,*

29 *Et bono verum eſt. Bonum enim prius ſub ratione ueri conſiderandum venit.*

## ASSERTIONES LOGICAE.

1 *Et adhuc ut par eſt omniũ primo de logica, ut inſtrumẽto fabre facto ad ea quibus uſui foret nos opportunius conuertamus.*

2 *Sit igitur logica methodus ueritatem in rebus diſquirendi.*

3 *In neceſſarijs quidem ſimpliciter,*

4 *In contingentibus uerò, quantum illarum natura ferre poteſt.*

5 *Sed rerum ueritatem indagandi plures ſunt diſtincti modi; ut & rerum proponendarum aliæ atq; aliæ ſunt formæ.*

6 *Nam de quacunq; re veritas est habenda, uel incomplexe uel complexe proponi solet.*

7 *Et vtrunq; bifariam.*

8 *Incomplexe siquidem primo quaeritur an sit res quae consideranda venit.*

9 *Secundo iam esse posita quid sit.*

10 *Complexe vero, uel vtrum insint illi passiones quae de illa fuerunt enuntiatae.*

11 *Vel propter quid insint perpendendum est.*

12 *Tot autem quaestionibus duo sunt satisfaciendi modi, per argumentationem & diffinitionem.*

13 *Argumentationem inquam, quae sit uel inductio, uel demonstratio & hoc in necessariys; hae enim omnium potissimae.*

14 *Inductio siquidem res uel esse uel non esse manifestat.*

15 *Et id complexe uel incomplexe.*

16 *Diffinitio rerum essentias explicat.*

17 *Demonstratio tandem rerum assertarum causas consequitur.*

18 *Et id uel simul et rei et scietiae, quae a priori demõstratio dicitur,*

19 *Vel scientiae tantummodo, quae fit a posteriori.*

20 *Et demonstratio si sit a priori per compositionem:*

21 *Si autem a posteriori per resolutionem.*

22 *Diffinitio rursus diuisione & compositione comparatur, vbi communiora genera per ramos distribuens ad rei proximũ vsq; genus & differentiam deuenit.*

23 *Ex quibus rei propositae constituitur essentia.*

24 *Quo fit ut inter uerum inuestigandi instrumenta ad definitionem diuisio,*

25 *Ad ratiocinationem resolutio,*

26 *Et ad utranq; compositio nobis sint potissimae uiae.*

27 *Sed his omnibus prius cõmunis est & necessaria uocum enuntiatio, seu uocum de uocibus praedicatio.*

28 *Per hanc enim exprimuntur omnes animi conceptus*

29 *Non enim fortuita quaelibet terminorum coitio facit ad mentis interpretationem, sed illa duntaxat quae uel uoces connectit, inter quas est mutua a natura connexio.*

Et

30 *Et ita disponit vt communioribus minus communes, uel æqua les æqualibus subijciantur.*

31 *Vel repugnantes separat & abscindit, uel his contrariæ.*

32 *Hinc enim uerum & falsum exordium sumunt.*

*Sed simplices uoces enuntiationum materia, pro uarijs ad inuicem relationibus varia epitheta sibi sortitæ sunt.*

*Non enim eadem harum uocum, animal & rationalis, ad hominem affectio.*

33 *Quò fit ut vocum cum aliæ dicant rerum uel essentiam, id est, sine quibus nec mente concipi possent,*

34 *Vel accidens, id est sine quo nihilhominus res essent:*

35 *Vox quæ rerum sensilium vnius alicuius formæ totam essentiam significat, species dicatur.*

36 *Et huius communis vocis, quæ reliquarum quasi materiam significat, genus.*

37 *Quæ verò formam, differentia;*

38 *Cui proprium est contra Porphyrium de una sola specie & cum genere in questione qua quid enuntiari.*

39 *Vocum verò quæ quid accidens significant, & affectiones, si proprias uni speciei semper & omni (quas alio nomine secundos actus denominant) proprium vocabitur.*

40 *Si communes, accidens.*

41 *Ab illo differēs: quia proprium de propria forma potissimum educatur, & speciei primo competat;*

42 *Hoc autem magis materiam consequatur,*

43 *Vnde primo & per se sensilibus adhæret.*

*Sed uniuscuiusq; genus & differentiam & alia huiusmodi inter infinitas rerum uoces inuenire, nimis erat difficile, nisi reductæ ad certas & finitas classes primo communiores, postea minus communes gradatim dispositæ, redderent faciliorem diuisionem, compositionem & resolutionem.*

*Vnde summa decem uocum & rerum genera constituta sunt, ad quæ tanquàm postremam in hac arte materiam usq; resoluti, sicuti faciūt qui recta ratione procedunt, nunc ope-*

raturi, ordine retrogrado ab his exorſi ad enuntiationes et demum ratiocinationem progredientes exquiſitius omnia repetamus.

## EX CATEGORIIS.

44 Voces autem, uel entia, uel entium diſpoſitiones, uel ad utrũq; præparationes ſignificant.

45 Sed uera entia ſubſtantiæ ſunt & hoc aliquid.

46 Et ſubſtantia ideſt id quod per ſe ſubeſt, altera prima quæ ſenſilis eſt & indiuidua & maximè ſubſtantia.

47 Altera ſecunda, quæ primæ quædam eſt eſſentiæ pars pluribus communis.

48 Quæ quanto magis a prima recedit, propius ad primam materiam accedens, ſubſtantia minus eſt.

49 Vtraq; tamen hoc aliquid ſignificat.

50 Et una numero (quod illi eſt maximè proprium) contraria ſuſcipere poteſt.

51 Entium autem diſpoſitio prima ſecundum quantitatem eſt.

52 Continuam uel diſcretam.

53 Continua eſt quæ potentia et non actu partes diſtinctas habet;

54 Vt actu diſcreta numerus nimirum.

55 Et harum aliæ partes iuxta ſe poſitas habent, ut linea, ſuperficies, corpus & locus & numerus.

56 Aliæ uerò ſucceſſione, ut oratio necnon & tempus.

57 Quantitati uerò maximè proprium per eam quid æquale uel inæquale dici.

58 Secunda autem entium eſt diſpoſitio qua dicuntur ad aliquid, ideſt ubi quod ſunt id alterius eſſe dicuntur.

59 At tertia, qua res qualis denominatur.

60 Et quadrimembris eſt, habitus & diſpoſitio, naturalis potentia et impotentia, qualitas ſenſilis et paſſio, ultimo figura quantitatis propria affectio.

61 Quarto loco ſuccedunt actio et paſſio;

Quas

62 Quas consequuntur ubi, quando, situs, et habitus antedictarum dispositionum ad substantiam comparationes.

63 Sed uoces quæ præparationes significant, uel ad substantiam, uel ad quantitatem, uel qualitatem, uel ad locum, quæ sunt generatio, auctio, alteratio, et motus secundum locum, uel his contrarias.

64 Voces rursus adinuicem comparatæ, uel res significant easdẽ, uel diuersas.

65 Similes uel dissimiles;

66 Vel simul natura;

67 Vel aliæ alijs priores.

68 Si diuersas, uel oppositas uel repugnantes.

69 Oppositas, uel cõtrarias, uel priuantes, uel relatas, uel cõtradicẽtes, idest simplici affirmatione uel negatione differentes.

## EX LIB. PERIHERM.

70 Sed uoces ad connexionem aptæ, sunt materia enũtiationum.

71 Et uerbum illarum est copula et forma.

72 Sine quo nulla affirmatio uel negatio (Modo assertiuæ sint enuntiationes)

73 Ab his enim aliæ, sunt præter institutum; nam illæ solæ uerum et falsum producunt,

74 Verum inquam, si referant in anima res esse, uel non esse ut

75 Falsum autem si secus. (extra;

76 Vnde quatuor cõtrariæ assertiões de ijsdẽ subiectis & enũtiatis efferri possunt et quæ oppositiões postea suboriri faciũt.

77 Quæ adhuc uariantur pro ratione diuersæ materiæ necessariæ uel contingentis,

78 Et diuersorum signorum appositione;

79 Negationis etiam, uel ante uerbum, uel immediatè præquæsito collocatione.

80 Inter quas contrarietates, illa quæ inter singulares est, semper uerum à falso diuidit,

81 Nisi in futuris contingentibus.

82 Quorum nulla ueritas.

## EX LIB. PRIORVM.

83 Sed ubi quibusdam enuntiatis, aliud necessariò cõsequitur, sub nascitur syllogismus.

84 Qui si præter assumpta nullis egeat ut quod uult id consequatur, est perfectus; alioquin imperfectus.

85 Omnibus tamen, tres ad minus termini & enuntiationes duæ operæ pretium faciunt.

Ex quorum opportuna & perfecta complicatione oriuntur tres simplices figuræ.

86 Prima, cui medius in maiore subijcitur, in minore uero enun-

87 Secunda, cui semper enuntiatur. (tiatur.

88 Vt tertia, cui semper subijcitur.

89 Sed prima & secunda quatuor modos,

90 Tertia uerò sex distinctos pariunt.

100 Quibus tamen omnibus commune est nihil consequi sine enuntiationum altera uniuersali altera affirmatiua.

101 De nullo enim dicatur subiectũ oportet, de quo non enuntiatũ.

102 Et sine affirmatiua nullus coincideret terminorum congressus.

Et præter hos syllogismos adsunt & alij, qui cum lege siue condictione fiunt.

103 Id est, qui binis constant propositionibus, quarum maior binis enuntiatis per copulã cõnexis, ex quarum altera fit minor.

104 Condictionis uero copula uel coniungit enuntiata, uel diuidit.

105 Illìc sese consequentia,

106 Hìc autem sibi inuicem opposita.

107 Sed illa si sint retrò cõmeantia, sese mutuo concludunt.

108 Alioquin tantum antecedens consequens trahit;

109 Nisi ubi consequentis oppositum, alterius oppositum quærit.

110 Semper tamen consequens de omni antecedente dicitur.

111 *In disiunctis, si sit oppositio in duobus, unius affirmatio alterius est negatio.*

112 *Sed si in pluribus sicuti in contrarijs, omnia contraria eò concurrant oportet.*

113 *Verum, inter opposita, contradicentia proprium hoc habent, ut de quolibet sit uera negatio uel affirmatio.*

114 *Reliqua uerò, in certis tantummodo generibus;*

115 *Fit alia ratiocinatio per deductionem ad incommodum, vbi falsum impossibile minus notum, alterum impossibile consequens magis notum destruit.*

116 *Adest & inductio concludens terminum maiorem de medio per minorem.*

117 *Quæ primò egemus ad quăcunq; cognitionem & cõmunẽ con-*
*Subsequuntur exemplum & enthymema (ceptionem.*

118 *Illud uia similitudinis quæ inter medium & minorem terminos est de minore concludit maiorem, qui de medio enuntiari sit probatus.*

119 *Sed enthymema mutilus est syllogismus, quia propositionum altera supposita tacetur.*

*Verùm pro materia subiecta, fiunt alij atq; alij syllogismi:*

120 *Nam si de rebus quæ secus se habere non possunt, necessarius*
121 *Si de contingentibus, dialecticus est. (est & demonstratio.*
122 *Sed qui falsum pro uero commutat, sophisticus est.*

## EX LIBRIS POSTERIORVM.

123 *Demonstratio uero (hæc enim forte magis quàm quòd dependens sit methodus inter topica & posteriora præcedat) syllogismus est faciens scire, idest rem per causam cognoscere.*

124 *Causam inquam necessariæ consequutionis.*

125 *Quæ si fuerit & rei, erit demonstratio absolutissima.*

126 *Potissimùm si proprias passiones per subiecti et enuntiati causas ostendat.*

127 *Modò dependet omnis demonſtratio a præmiſsis ideſt primis in ea ſciētia princípijs & quæ aliunde demōſtrari nequeūt.*

128 *Præmiſſæ rurſus, uel cōmunes uel propriæ.*

129 *Illæ ſi forent uſui, proprio generi ſunt accommodandæ.*

130 *Omnes ueræ ſint oportet*

131 *Neceſſariæ.*

132 *Vnde & uniuerſales; particulariū enim nulla per ſe neceſsitas.*

133 *Vnde & de omni dicentur.*

134 *Exquiſitiſsimæ tamen ſi primo & per ſe*

135 *Per has ergo ſciētiæ gignūtur in nobis, quæ diſtinguūtur poſtea uarijs uel ſubiectis, uel quæſitis, uel demonſtrandi modis.*

136 *Demonſtrationis autem exquiſitæ medulla diffinitio eſt, per ſe nihil enūtians ſed eſſentiā rei quam breuiſsimè explicās.*

137 *Vbi nimirum fit per genus & differentiam quaſi materiam & formam.*

138 *Hanc æmulatur deſcriptio, per accidentium circumſcriptionem rem exponens.*

## EX TOPICIS.

139 *Hæc illa logicæ pars eſt, tradens locos unde omne genus diſputandi trahitur, & dialecticum ſiuè probabilem ſyllogiſmum ſuggerendi canones.*

140 *Aequè communis ac prima philoſophia.*

141 *Niſi quia huius propoſitum ſit ſincere rerum ueritatem indagare, & ſubiectum determinatum habet:*

142 *Illa autem potius uincere ſtudeat, & nullum habet præfinitum ſubiectum.*

143 *Nec ſolum eſt adſtricta topicorum libris, ſed & utitur toto organo.*

144 *Et quæ duplex poterit ſtatui, altera enuntiationes formandi altera uero diſponendi.*

145 *Sed illa neceſſarias format in poſterioribus, probabiles autem in topicis.*

EX

146 *Fallax syllogismus, qui uel in materia uel in forma peccat, uitari facile poterit ab eo, qui in antedictis fuerit optimè uersatus, quàm quod nimis hic immoremur.*

# ASSERTIONES TOTI PHILOSOPHIAE SPECVLATRICI COMMVNES.

*HABITO Gnomone mens nostra sese conuertat ad indaginem ueri, quod super omnia tantisper affectat.*

1 *Sed cuius ueritatem quærit proculdubio nihil esse potest quàm ipsum uniuersum,*

2 *Vnicum totius contemplatricis philosophiæ subiectum.*

3 *Nihil enim præter ipsum, uel quod aliquid sit ipsius sub scientiam cadere potest.*

4 *Mundus autem sub triplici ratione perpendendus uenit, ad quam omnis postea consideratio debet necessariò reduci;*

5 *Primo nimirum, quatenus corpus est & hoc aliquid (ut ab iis quæ sese primo nobis offerunt auspicemur) & transmutationibus obnoxius;*

6 *Deinde ex parte qua quantus est, patiturq; diuisiones;*

7 *Postremò uerò quatenus ens.*

8 *Quo fit ut tres tantummodo propriæ sint huius philosophiæ partes: Naturalis, Mathematica, & Diuina.*

9 *Quarum illis magis scientiæ nomen, Quia res tractent quarum essentia & principia aliunde pendent;*

10 *Huic uerò quæ sit omnium primarum causarum sapientiæ nomenclatura magis iure competit.*

## NATVRALES EX OCTO LIBRIS AVSCVLTATORIIS.

COR-

## CORPVS.

*CORPORIS autèm prima principia causæ & affectiones communiter primò, dein propria cuiusq; corporis & singularia habemus examinanda; ne communia singulatim sint in omnibus repetenda.*

*Quin etiam legitima quæque methodus (quæ communes in primis toti tractationi propositiones præstabilire solet) res ex quibus formandæ ueniunt, primò præparet opus est.*

1 *Sed prima principia, id est omnium rerum naturalium promptuaria, & omnium transmutationum causæ & termini sanè sunt ea, quæ dum nec uicissim, nec ab alijs fiunt, reliquorum omnium sunt seminaria.*

## MATERIA.

2 *Quo fit ut primum, sit illud commune subiectum tot mutationibus, quæ sensibus apparent substratum; quam primam Materiam uocant.*

3 *Secundo loco adsint prima contraria, quorum in illa mutua pugna tantæ uarietatis est causa.*

## FORMA.

4 *Forma nimirum materiam penetrans & informans.*

## PRIVATIO.

5 *Et huius priuatio præcedens.*

6 *Quæ tria sunt eadem rerum omnium principia, sed comparatione & analogia.*

7 *Quibus alludere uidentur Platonis infinitudo, terminus & mixtio.*

8 *Inter hæc autem materia & forma simul unita res naturales*

con-

constituunt, & ab illis nunquam recedunt.

9 Priuatio uerò pro transmutationum saluādis uicißitudinibus (quod in natura præcipuum est) quasi per accidens est necessaria.

10 Sed prima materia, cum ea sit qua constant res omnes naturales, & in quam ultimò resoluuntur, semper sit manens & subsistens oportet;

11 Omni propria forma & ingenita uacans; Ne euanescat sua potentia, per quam ad omnes formas uestiendas fit apta.

12 Sit igitur ingenita & incorruptibilis, ne in seipsam interitura, uel ex seipsa parta uideatur.

13 Et tantum uia transmutationis cognita; & per rationem quā habet ad formas.

14 Formæ uero proprium est dum materiam superuenit, nouum rei genus constituere, & hoc aliquid.

15 Sed huic occasionem ad materiam accedendi dare, priuatio proprium habet.

Atq; hæc de primis principijs, Causæ nunc inuestigandæ sunt.

16 Causam autem communi nomine dico, qua posita, quid subinde consequitur.

17 Sunt autem causarum quatuor præcipua genera Finis (Cuius

18 gratia agens quodlibet agit.) Efficiens forma et materia.

19 Quibus nec plures nec pauciores; quamuis secundum prius uel posterius, per se uel per accidens, actu uel potentia, sint causarum distincti modi.

20 Nec nocet quod unius & eiusdem effectus plures fines, & sic de alijs, aßignari poßint.

21 Verum in omni causarum genere, ad ultimum quoddam. usq; et in eo genere primum acrius intuēti peruenire licet.

22 Quarum primam materiam, & efficiens tamen ut mouens, quæ corpus inducunt, Naturalis est inuenire.

23 Primum uerò finem & formam, Quæ ut ens est, mundo competunt. Imo & de omnibus exquisitius tractare, ipsius diuini philosophi.

24 Causis tamen id proprium est, ut uniuersales sint uniuersaliũ effectuum, singularium uerò singulares.

25 Actu rursus uel potentia causæ, effectuum actu uel potentia.

26 Sed nunquid natura naturalium est causa? est quidem, sed latens inter illas.

27 Nam cum sit principium motus aut quietis, eius in quo est primo, per se et non per accidens; Nihil esse potest præter naralium, materiam, et formam.

28 Sed magis est natura forma, quàm materia,

29 Quanto melius est et dignius agere quàm pati; quorũ illa sunt principia.

30 Supersunt inter causas casus et fortuna, sed per accidens; ubi præter institutum naturæ uel deliberantis res succedunt.

31 Sed magis in natura casus, in aliјs uerò fortuna;

32 Quæ si conferat agenti, bona, si uero noceat, mala uulgò nominatur.

33 Fuerunt autem introductæ, quia plures eiusdẽ effectus poßint esse causæ quàm determinatæ; Nulla enim inter effectus et causas est adeò adstricta neceßitudo;

34 Vnde nullum est fatum.

COMMVNITER autem corpus concomitantia sunt; motus, locus, & tempus.

## MOTVS.

35 Motum autem dico actum entis quatenus in potentia.

36 Huius primum principium est priuatio,

37 Sed latè sumptus potest & non naturalibus aptari, quatenus et illa potentiæ sunt immixta;

38 Qua ratione omnia moueri animamq; mouere seipsam potuit saluare Plato.

39 Sed naturalis, quem quæro, est tantum actus partis post partem succeßiuè.

40 Quò fit ut in illis rerũ generibus dumtaxat uersetur, in quibus

&

& cõtrarietas habens media, ut quãtitate, qualitate, et ubi.

41 Impropriè uerò in substantia.

42 Vt in relatione nullus.

43 Cõstat autẽ duobus semper terminis cõtrarijs, a quo & ad quẽ.

44 Huius causam latentem alteritatem, quam uocant, credunt meritò Platonici.

45 Nam qui unum omnia statuit motum cogitur auferre.

46 Motus autem fit in loco.

## LOCVS.

47 Qui nihil est quàm extremitas continentis tangens rei contentæ superficiem.

48 Quò fit, ut totus orbis loco uacet, nec moueri dicatur.

49 Partes uerò discretæ, quia sibi contiguæ, iam locum occupant.

50 Est autem per seipsum, in natura locus;

51 Naturaliũ enim maior pars quosdã congruos sibi situs appetit.

52 Huius loci causa subtilius inspicienti apparet profectò discreta quantitas, & continui diuisio.

53 Vnde naturalibus suarum tantũ dimensionũ beneficio cõuenit. Philosophantium alij propter locum uacuum, id est, spatium inane introduxerunt; Alij uerò propter uacuũ locum abstulerunt.

54 Sed uterq; fallitur.

55 Nam illi ponunt in rebus plus & minus, quod nec finis, nec materiæ necessitas cogit.

56 Hi uero motum auferunt.

57 Fit autem motus in loco cum tempore.

## TEMPVS.

58 Id est mensura secundum prius & posterius.

59 Cuius essentia est in momenti fluxione posita.

60 Tantum instans vnum actu, sed id semper, ostendens.

61 Qnod non est tempus, sed magis temporis limes.

62 Vndè magis non esse, quàm esse uidetur.

63 Quia illa ſluxio, in qua poſitum eſt, tantum memoria conſtat.

64 Cuius ſolus homo iudex, ut & omnis numeri.

65 Eſt enim tempus partim numerus, & partim continuum.

66 SED huic & motui & loco cõmune eſt de genere continuo-

67 Id eſt, eorum quæ diuiſibilia ſunt in infinitum. (rum eſſe..

68 Quàmuis actu nullum extet huiuſmodi.

69 Imò in ipſa potentia poſita eſt infiniti eſſentia.

70 Sed ex continui diuiſione deducitur diſcreta quantitas in cor-

71 Cui aliquid ſemper apponendum remanet. (poribus.

72 Vt illi quid diminuendum.

73 Non autem fit continuum ex punctis, Ex indiuiſibilibus enim nullum reſultat diuiſibile.

74 Sed tantum fit ex puncti fluxione.

75 Quod cum plures admittat proporti ones, fit ut et motus, locus, & tempus earundem ſint participia.

76 Proprium autem eſt motui tardo dici uel ueloci.

77 Velox inquàm, qui eodem tempore maius ſpatium perficit, uel idem ſpatium minori tempore.

78 Tardus vero contra.

79 Conuenit & motui finitum eſſe.

80 Omnis enim magnitudo quæ mouetur, & ſpatium ſuper quod fit motus finita ſunt.

81 Infinities tamen repetitus temporis neceſſariam perpetuitatem ſaluat.

82 Eſt enim tempus æternum ex ſeipſo, vel antea fuiſſet quàm eſſet, Et daretur inſtans ſine præterito.

83 Sed ſi tempus ideo perenne, quia motus unius alicuius perpetui menſura, motus hic localis ſit oportet.

84 Et inter locales, ille qui ſemper eſt uniformis & contrario caret; circularis nimirum.

85 Solus enim hic æternè nulla quiete interpoſita ualet durare.

86 Aliorum erit igitur motuum cauſa & menſura.

87 Et eò magis, quia qui per illum mouetur, magis ſtare dicatur, ſtant enim (inquit Plato) circuli, & ſi mota circunferentia

*tia, modò centrum sibi constet.*

88 *Sed si tempus & motus perpetua sunt, fit ut & motor.*
89 *Et ille sit unus, ut & tempus unum.*
90 *Qui necessariò sit incorporeus; Quia perennis.*
91 *Vnde & indiuisibilis & immobilis erit.*
92 *Et infinitus, duratione tamen (quod aiunt) sed non uigore.*

## EX LIBRIS QVATVOR DE COELO.

*Sed post communem et abstractam corporis considerationem, cuiusq; corporis in parte (quod in hac arte præcipuum est) examinatio succedit.*

*Verum totus mundus si quid proprium habet primo uidendũ, deinde de singulis partibus. At de illo hoc unum est in primis asserendum.*

1 *Postquàm omnium magnitudinum corpus est absolutissima, cui nulla dimẽsio superaddi potest, imo est in omnes diuisibile,*
2 *Necnon & inter corpora ipsum naturale, quia re ipsa constet:*
3 *Modò inter naturalia mundus sit oportet omuium perfectissimus. quia & omne corpus sit totum & unum.*
4 *Nam si mundus corpus est, ergo et finitus.*
5 *Sed si finitus, ergo et unus; ne motus naturalis et uiolentus (sint idem.*
6 *Præter hunc nihil est neq; uacuum.*
7 *Vnde loco uacat.*
8 *Et totus stare dicitur.*
9 *Et quia unus, sibiq; caret contrarijs, nec ortui nec interitui est obnoxius.*
10 *Modò huius partes aliæ sunt simplices, aliæ compositæ.*
11 *Simplices tot erunt quot simplices motus, nam diuersi motus diuersas naturas ostendunt.*
12 *Simplices autem sunt rectus et circularis. Hic circa medium, Ad medium ille, uel a medio ad circunferentiam.*
13 *Horum autem simplicium corporum cælum illud est quod orbiculari mouetur.*

14 (Nam quia motum ſimplicem habet, fit ut ſit & ſimplex)
15 Et aliud ab illis quæ rectà mouentur.
16 Vnde neq; graue nec leue; Talia ſunt enim quæ uel ad mediū, uel a medio feruntur.
17 Carebit ergò contrario.
18 Vnde ingenitum & incorruptibile.
19 Necnon, quia & naturalis eſt motus nunquā non mouebitur.
20 Habet item dextrum & ſiniſtrum, ante & retrò, ſurſum & deorſum.
21 Surſum autem, ad Antipodum polum.
22 Vndè fœlicius illorum eſſe clyma noſtro ueriſimile eſt.
23 Eſt autem Sphericæ figuræ.
24 Nam mouetur in orbem. tum motui uelociſsimo, illa figurarū æqualis habitus quæ dum ad idem punctum redit eſt breuiſsima, operæpretium faciebat.
25 Cœli autem motus eſt uelociſsimus; Nam omnium metrū eſt. Necnon primo corpori prima ſimplex figura erat aptanda, quæ nec additionem, nec imminutionem ſuſcipere poſſet.
26 Quin & niſi ſit ſphæricus uel uacuum uel plenum preter cœlum, Quod abſurdum eſt, Cœlum enim extrema mundi circumferentia;
27 Quia ſolum Sphæricum corpus poteſt rectis finem & limitem imponere.
28 Quò fit ut et totus mundus, ſit circularis.
29 Deferunt autem cœli ſydera; propter hæc enim extant.
30 Et ex eadem materia niſi raritate uel craſsitie differentia.
31 Sunt autem ſidera rotunda.
32 Sed utrum ſuis orbibus defixa?
33 Agunt autem in hæc inferiora per calorem, et eum qui fit medio lucis & motus.
34 Suntq; in cœlo plures orbes; & tot quot ſiderum uarij motus.
35 Octo ergo præcipui.
36 Ita tamen ut horū omnium tanquàm totius cuiuſdam animalis unus ſit cōmunis motus (ut ait Plato) alij uero tāquā partiū.

Et

37 *Et inter orbes, alÿ plures stellas, alÿ tantum unam deferunt. Et illorum, aliqui pluribus aliqui uè paucioribus motibus circumuoluunt; Quatenus magis uel minus ad Primi perfectionem accedunt.*

38 *Sed si cœlum in orbem mouetur eget medio fixo.*

39 *Omnis enim motus desiderat aliquod stabile manens.*

40 *Et ad id feretur corpus sua natura graue; Quod terram esse com*

41 *Quæ tota perpetuò quiescat est necesse. (pertum est.*

42 *Nam mouentur omnes suæ partes ad quietem; quia ad mediũ.*

43 *Vndè hæc productrix frigoris erit per umbram & quietem.*

44 *Sit autem sphæricæ figuræ oportet. Aequè enim sunt graues omnes suæ partes; & æquè medium affectant.*

45 *Quò fit ut idem sit medium & terræ & totius uniuersi.*

46 *Sed detur etiam simplex corpus quod a medio ad extremitatem feratur. Hunc ignem esse patet;*

47 *Et omnia supernatantem.*

48 *Quorum ignis & terræ motuum & primorum inter eos qui recta fiunt, aptitudines grauitas sunt & leuitas, idest sursum ad circumferentiam, uel deorsum ad medium ferri habilitates; uel illa, omnia superuolandi, hæc uerò subeundi facultates;*

*Quò ducta simplicia corpora quiescunt & contenta sunt.*

49 *Vndè motus hi sunt reliquis perfectiores.*

50 *Sunt enim corporum iam absolutorum. Reliqui autem ad huc imperfectorum.*

51 *Motus hi rursus ab intrinseco deriuant. Reliqui uerò quodam extrinseco egent.*

52 *Verum quædam adsint intermedia corpora illorum interstitium occupantia opus est.*

53 *Tum ut illorum motibus detur locus, tum ne uacuum inuadat.*

54 *Vnius autẽ minimè satis erat, quod illa colligaret (ait Plato)*

55 *Quin et unum medium illudq; simplex; duorum contrariorum particeps esse nequibat; sed duo satisfaciunt.*

56 *Sunt autem hæc aer et aqua.*

*Quæ*

57 *Quæ & grauia & leuia quodammodo ſunt. leuior tamen aer aqua uero grauior.*

58 *Quatuor autem hæc corpora ignem, aerem, aquam, & terrã, ſecundum naturam diſcrepantia, non ſecundum magis uel minus, eſſe ſimplicia demonſtrat, quod in alia niſi in ſeipſa reſolui minime poſſunt; Dum ſe mutuo (ſicut patet) generant & corrumpunt.*

59 *Vnde contraria ſint oportet;*

60 *Communem materiam habentia, & a cœlo diſtinctam.*

61 *Secundum totum æterna quidem, ſecundum uerò partes tranſmutationibus obnoxia.*

## EX LIBRIS DE ORTV ET INTERITV.

*Subſequuntur corpora mixta, id eſt ea quæ dum mixtos motus habent, patet etiam in ſe ſimpliciora reſolui;*

*Quorum tranſmutationes nobis ſunt examinandæ.*

1 *Prima eſt generatio id eſt rei totius eſſentiæ in actũ deductio.*

2 *Altera eſt pro quantitate tranſmutatio, eadem ſubſtantia re-*

3 *Adeſt ultimò ſecundum qualitates affectio.* *(manente.*

4 *Quarum tranſmutationum, & generationis in primis, ſimplicia corpora materia ſint oportet, per mutuam actionem uiciſsim & paſsionem ſeſe commiſcentia.*

*Vnde partim contraria, partimq; ſimilia.*

5 *Similia quidem, imo eadem in communi ſubiecto.*

6 *Commiſcentur enim ſolum ea, quorum ultima ſunt huiuſmodi; vt quæ agunt ſimul compati poſsint, & omnia mutuò miſceri.*

7 *Non enim ſolus illorum contactus ſatisfaceret, id eſt ſola labiorum corporum vnio;*

8 *Alioquin orbis lunæ ab ignis ſphæra pati poſſet,*

9 *Sed mixtio deſideratur,*

10 *Id eſt contemperatio ad nouam alicuius compoſiti formam, ob quã elementa actu priſtinas ſpoliant, ad huc tamen eas fa-*

cultat

*cultate retinentia. (Differt enim specie mediocritas ab extremis.)*

11 *At primæ qualitatum simul agentium & patientium oppositiones sunt calor frigus, humor & siccitas.*

12 *Nam reliquæ qualitates, quas secundas & tertias uocant, uel nihil agunt uel illarum emolumento.*

13 *Vnde iure igni, aeri, aquæ, & terræ, quæ reliquorum erant necessariò futura materia, (vnde & elementa dicta fuerunt) primo competerent fuit opus.*

14 *Ita tamen ut ignis calore, aer humiditate, aqua frigore, terra siccitate superent.*

15 *Nam remissio non fit semper per admixtionem contrarij.*

16 *Primarum illarum qualitatum calidam & frigidam actiuas, siccam, & humidam passiuas, si simul conferas, esse patet.*

17 *Vnde actiuæ unius, & passiuæ congressus possibiles, quatuor tantum elementa esse posse demonstrant.*

18 *Sed sola materiæ similitudo & qualitatum oppositio. rerum generationi uel simplicium corporũ mutuæ transmutationi minime sufficiebant; nisi sese mutuo offenderent, Et a locis proprijs recedentia in locum mixtorum generationi congruum concurrerent:*

19 *Fuit ergo necessarius localis motus;*

20 *Sed non suus, qui tantum ad loca propria defert; Cœlestis ergo;*

21 *Superiora suo motu demittens ad inferiora; inferiora uerò calore & luce rarefaciens, & in superiorum conuersionem disponens.*

22 *Non autem fuit unus dumtaxat motus cœlestis, imo plures, quorum diurnus rerum perennitatem seruaret;*

23 *Alij uero per signorum successionem et pro uarijs sitibus uicissitudinariam transmutationem.*

24 *Et illam eandem specie, sed non numero.*

25 *Mortuorum enim nulla resurrectio. nam ad preteritum nulla est potentia.*

1 *Sed mixtorum rursus quædam materiæ necessitate fiunt, quædam uerò gratia alicuius. Quo fit ut alia perfectè mixta, alia uero imperfectè.*

2 *Huius generis sunt omnia Meteora, Vbi nec ad pondus, nec ad iustitiam contemperata sunt elemēta; Sed magis per fortuitam concretionem illa resultant.*

3 *Differunt autem pro uarijs elementaribus regionibus, ubi generantur. Nam alia in aeris suprema, Alia in media, Quædam in infima, Quædam in aquis, & alia in terra.*

4 *Horum materia subiecta duæ sunt exhalationes, uapor, & spiritus seu fuligo.*

5 *Agens est mundus superior; huic cōtinuus, quippe quē regat.*

6 *Sursum ui caloris illas exhalationes attrahens; Quæ si secum uiscidi quippiam & opimi deferant, propè ignem delatæ inflammantur, Quas cometas postea uocant.*

7 *Et una cū illa regione a sphæra Lunæ in orbem rapi uidemus; Quin & pro uarijs figuris caprarum trabium, facum, tragetarum, quas nobis hic positis referunt horundem nomina retinent.*

8 *Apparet & sursum lacteus orbis, sed quem cœli portionem uel rariorem, uel propè positorum syderum reflexo lumine collustratam existimem.*

9 *In mediam autem aeris regionem (quæ per antiperistasin frigida sit oportet) delati uapores ibi necessariò concrescunt.*

10 *Si mediocriter, in pluuias, & imbres; Si paulo magis, & una cum aere permixti, in niuem instar floccidæ lanæ.*

11 *Vbi uerò præter modum coalescunt (quod accidit æstate magis, præ nimia frigoris in seipsum cōtractione) in grādinē.*

12 *Sed quando intra nubes idest concrescentes uapores sicca exhalatio inclusa uiolenter exitum petit, tonitrua, coruscationes necessariò parit.*

13 *Tum & fulmina, si cum magno impetu extrusa in inferio-*

rem

rem nostram regionem decidit.

14 Eadem uerò sicca exhalatio dum sursum petebat ad nos rursus a frigore repercussa, facta est uentus.

15 Horum qui propè flant, humidi esse solent.

16 Vnde pluuias contrahunt.

17 Dissipant autem nubes, qui procul aspirant. qui & sicci sunt, ut qui a Septentrione; Qui & frigidi sunt. Vt qui ab Austro calidi. Tandem secundũ uarios situs unde nobis afflãt, uaria discrimina admittunt.

Sed & illæ exhalationes terræ uisceribus inclusæ, uarios effectus producunt.

18 Vnde uapores ibi guttatim concrescentes, & coeuntes, scaturire fontes; & hi flumina faciunt.

19 Quorumq; maior pars a mari ut mathematicis demonstrationibus fit manifestum. Quæ etiam demum ad mare fluunt.

20 Vbi elementum aquæ dominatur.

21 Nunquàm defecturum, quamuis mutetur secundum partes.

22 Imò & secundum situs.

23 Quod meritò proprio firmamenti motui adscribitur.

24 Huius salsedinis causa est adustarum terræ exhalationũ una cum aqua permixtio; tum leuium dulciumq; partium per solem segregatio.

25 Spiritus uerò in magnam copiam in terræ meatibus acceruati, dum exitum petentes terram magna ui concutiunt, terremotus generant.

Atq; hæc de imperfectè mixtis.

26 Post quæ non statim exquisite mixta consequuntur. Sed quæ sint media, nempe mineralia & alia huius generis inanimata.

27 Et hæc uel metalla, uel fossilia.

28 Quorum illa uapor, hæc exhalatio magis quasi cremati fuligo in terræ uisceribus concreta generant.

29 Et inter illa sunt aliæ, & aliæ species, pro puriore uel minus pura subiecta materia. Sed magis per distinctas formas, quæ in materiam uariè dispositam introducuntur. Quò fit

ut frustra tẽtẽt Alchimistæ metallorũ alia in alia cõmutare.

30 Adsunt et lapides, ex concretione crassiorũ terræ partium uel aquearũ cõgelatione ui superãtis caloris uel frigoris geniti. Subsequuntur perfectè mixta, in quibus exquisitior elementorum mixtio, & elaboratio desideratur.

31 Quorum optima temperatio pro cuiusq; formæ introducendæ gradu rerũ mixtarũ est generatio. dissolutio uerò interitus.

32 Quæ omnia præstãt per primarũ suarũ qualitatũ cõtraritates.

33 Inter quarum actiuas, calor si sit moderatus, patiens disponit ad agentis institutum, per concoctionem. id est materiæ assimilationem, dissimilium uero segregationem.

34 Sed si calor fuerit immoderatus potius omnia dissoluit, & comburit. Nam tametsi sint idẽ calor essentia, differunt tamẽ secũdũ magis et minus. quod facilè uidere est in Solis calore.

35 Frigus autem calido in se contrahendo ne dissipetur confert.

36 Sed inter passiuas, humiditas moderata calidum nutrit.

37 Superflua uerò obruit, & transpirationem prohibet, ut calidum magis auctum res tandem comburat.

38 Quo quidem modo fit putrefactio, inter corruptiones maxime naturalis, & simplici generationi corporum opposita.

39 Siccitas humidũ continet ne diffluat; solidaq; mixta reddit.

40 Ex harum autem primarum qualitatum coeuntium uarijs inter se affectionibus id est sicci cum humido, actiuarum beneficio uarijs commixtionibus, secundas & tertias quas uocant qualitates subnasci facile uidere est.

## EX LIBRIS DE ANIMALIBVS ET ANIMA, ET PARVIS NATVRALIBVS.

1 Verum omnia perfecte mixta uiuunt.

2 At nõ æquè, nã alia uitæ portiũculas, alia pleniores sortiũtur.

3 Ita tamen ut quicquid uilior, & inferior habet, habeat & superior. Nec id absurde.

4 Nam inter naturales formas, inferiores sese pro materia ad superiores habent, minusq; perfectæ, sunt perfectiorũ gratia

Quo

5 *Quò fit, ut una anima numero, & subiecto plures in se facultates continere queat.*

6 *Non tanquā totū partes, nec genus species, (ut hucusq; plures crediderunt.) sed tanquam principium ea, quorū est origo.*

7 *Nec potest alioquin utrunq; genus animæ & mens & naturalis saluari sub eodem subiecto.*

*Sed primo de generatione animantium:*

8 *Quæ fit a semine, uel a putri materia, seminis tamē usū ferēte.*

9 *Animantium modo tria sunt præcipuè distincta genera, Plantæ, quæ sola uegetatrice, Bruta quæ & sensitiua uigent, Tandem et Homo qui mentem habet.*

*De his ergo omnibus quæ uno animæ nomine solent exprimi, dicamus,*

10 *Si quid autem his omnibus cōmune est, (intellectū excipio, cui nullum cum his interest cōmercium.) primo uidendum est.*

11 *Videtur autem esse omnis anima, actus corporis organici, potentia uitam habentis.*

12 *At animæ facultatum aliæ motrices, aliæ sensitiuæ.*

13 *Motricum autem prima et omnium communissima est altrix; Altera uerò secundum locum delatrix.*

14 *De qua omnium postremò. Aliunde enim ut potè sensu & intellectu principium habet.*

ALTRIX.

15 *Altrix uerò ea est, qua animantia sunt, & uiuunt, & qua reliquarum nulla carere potest. Nam cum omnia uiuentia sint maximè fluxioni obnoxia, quia calida, instauratione per pabulum de foris adlatum egent.*

16 *Cuius etiam beneficio ad incrementi periodum quanta omnibus a natura præscripta est perducerentur.*

17 *Quod altrix hæc una ministrat ubi attrahit concoquit, superflua expellit, & auget.*

18 *Quo fit ut obiectum habeat alimentum.*

19 *Quodq; quatenus hoc aliquid, nutrit. quatenus quantū auget.*

20 *Vnde animāti primo diuersum aptū tamē et natū est idē fieri.*

*At*

21 *At idem animal numero perenne esse non poterat; Nam constat contrarijs: saltem idem specie propagari uoluit natura benigna parens, Per generandi facultatem.*

22 *Quæ uni eidem altrici fuit demandata, Medio seminis; quod quidem opportunũ animæ uehiculum extra suum proprium subiectum; animanti prolem eandem substituit.*

23 *Tot autem mysteriorum primum est anima principium; quippè quæ alterat in alterata.*

24 *Pro instrumento utens innato calore, cum quo omnia sua seminaria in materiam exprimit.*

25 *(Est enim hic forma præ reliquis elementorum uiribus.) Modò pergamus ad iudicatrices;*

26 *Magis quam illa diuinas.*

27 *Vt potè quæ non ut illa alimento, sunt cuidam certo rerum generi adstrictæ, sed rerum omniũ differentias internoscunt. & cælũ, imò & quæ cœlis longe præstant nobis manifestãt.*

28 *Rursus hæ non ad materiæ necessitatem. sed ad cognitionem et maioris perfectionis gratia datæ sisnt.*

29 *Vbi per has anima fit res omnes.*

30 *Non ut materia, quæ cum passione & alterna corruptione.*

31 *Imo illa inuiolata semper, nec quicquam pristini deperdens.*

32 *Quin nec ut illa subiectiuè; alioquin cõtrariorũ eẽt susceptiua.*

33 *Et quas anima ex se ipsa sibi postea effingat.*

34 *Quò fit, ut magis actiua quam passiua; nam tantum passiua quatenus suscipit.*

35 *Formarum nunc aliæ sensiles, aliæ intellectiles.*

36 *Sed per sensiliũ simulachra primo rerũ imagines, secundo intẽtiones, demũ ab his cõmunes rationes & formas dignoscit,*

37 *Quo fit ut iudicatricum sint, sensus exterior, communis, Imaginatio, phantastica, & demum mens ipsa.*

## SENSITIVA.

38 *Sed primum de sensibus, quorum munia tribus perficiuntur,*

Obie-

*obiecto, medio, & organo.*

39 *Ex organo una cum facultate coeuntibus, fit iam sensus potentia, cui tandē occurrēs obiectū per mediū illum actu perficit.*

40 *Sunt autem positi sensus omnes in quadam illorum omniū debita proportione. Quæ si uitietur, uitiatur & actio.*

41 *Sensus autem tot sunt, quot sensilium distincta genera.*

42 *At sensilia præter omnibus communia motum, quietem, numerum, magnitudinem, & figuram, Sunt aut colores, aut soni, aut odores, aut sapores, aut qualitates tactiles.*

43 *Vnde & quinq; sensus: visus, auditus, gustus, odoratus, & tactus.*

44 *Exquisitissimus autem omnium uisus.*

45 *Rerum enim differentias materiæ minus immixtas internoscit ut lucem.*

46 *Quæ quid mediū est inter diuina & naturalia, corporea et incorporea, (alioquin enim motus fiet in instanti.)* Digressio de luce.

47 *Hæc iure mediam naturam est sortita ut quæ cœlestium & diuinorum influxuum uehiculum futurum erat in hæc inferiora.*

*Modò redeamus ad uisum*

48 *Cuius obiectum lucidum corpus, & calor.*

49 *Instrumentum oculus:*

50 *Medium uero Diaphanum;*

51 *Sed lucis (quæ diaphani quatenus perspicuum, est perfectio) præsentia illustratum.*

52 *Color autem est affectio, ex mistione lucis cum diaphano & opaco.*

*Et hic duplex.*

53 *Alter innatus ratione natiui lucidi ignei, aquei, & aerei, perspicui in mistis.*

54 *Quorum simplices, niger, & albus. Ex horum autem pro ratione temperationibus alij resultant.*

55 *Alter per reflexionem; ut qui in nubibus, aqua apparent siderum radijs perlustratis.*

56 *Totq; colorum in his uarietates, ex alijs & alijs lucis cum diaphano commistionibus intensis uel remissioribus fiunt.*

*Modo uisui succedit auditus.*

57 *Sonorum, ut sui proprij obiecti, susceptiuus.*
58 *Aliorum autem omnium, ut uocum, impropriè.*
59 *Medium aer.*
60 *Instrumentum auris.*
61 *Sonus autem est aer affectus ex æqua & lata satis percussione corporum lenium & durorum.*
62 *Qui tandem aurium innato occurrens auditum facit.*
63 *Illabens per figuram sphæricam.*
64 *Sub hoc uox interdum latet, id est uoluntarius sonus animæ notas & passiones exprimens.*
65 *Adest & echo, sonus a corpore leni reflexus.*
66 *Sonorum uerò alij graues, alij acuti.*
67 *Graues ab aere tarde.*
68 *Acuti ab aere uelociter ferito.*
*Subsequitur odoratus.*
69 *Huius obiectum (ut docet nomen) odor.*
70 *Instrumenta Nares.*
71 *Medium uapor odorem deferens.*
72 *Odor enim uaporis est affectio, ex primarum qualitatum contemperatione. Sapori maxime uicinus*
73 *Nisi quia sicci magis ille, Hic uerò magis humidi.*
74 *Cuius Gustus iudex.*
75 *Cum lingua.*
76 *Medio Humiditatis quæ uacet omni sapore*
77 *Tactus tandem omnium latissimus; Imo omnibus communis, Egent enim omnes nutritione.*
78 *Et ut illi secundarũ omnes, hic primarũ qualitatũ discretiuus.*
79 *Grauis autem & leuis hic minime censor; sed uirtus motrix (quod hic dicere licet) per uim mouentibus organis factã.*
80 *Est & ille necessariò diffusus per uniuersum corpus.*
81 *Medium temperata caro.*
82 *Se habet autem ad reliquos pro materia.*
Digressio de facultatum 83 *Quo fortassè modo dixerim cor primũ principiũ animæ uiriũ*
84 *(Præterquàm naturalis quæ per totũ insita caret principio)*
*Mo-*

85 *Motiuam uerò postea, & sensitiuam in suis proprijs organis, quibus hæc propria uis est insita consistere.* animæ primis in animaliû corpore principiis.

86 *Sed si quod omnibus animæ facultatibuscommune subiectum, crederem calorem innatum.*

*Sed an totius animæ essentiam in qualibet parte continentem? Qui tamen pro uariorum organorum occursu, uarias functiones explicat.*

87 *Et huius arcem cor esse.*

*Sed ad sensus redeo.*

88 *Quos plures enumeratis statuere nequeo, vel sensilium aliqua præfatis superessent.*

89 *Vel humanus intellectus omnes facultates inferiores minimè poßideret.*

90 *Et illorum ad salutem animantium alij, (seu quod aiunt) ad esse, ut tactus & gustus;*

91 *Alij uerò ad melius esse.*

92 *Sed adsit sensus communis oportet. Qui uaria sensilia comparet & discernat. Et sensibus externis, tanquàm centrum idem lineis pluribus respondens.*

93 *Quò fit ut etiam ualeat dignoscere contraria.*

94 *Verum absentium sensilium uestigia & spectra, quænam uis agitabit? Imò quæ ubi uult noua sibi efformat? imaginatrix profectò.*

95 *Hac ergò omnia animantia uiuunt.*

96 *In qua res bona uel mala, id est uel uoluptatis, uel dolorifera incipit apparere.*

97 *Voluptas autem est sensus affectio ex recessu ab eo quod præter, in id quod secundum naturam est; Dolor autem contra.*

98 *Vnde quales res depingit imaginatio, tales uel prosequitur, uel fugit appetitus.*

99 *Quò fit ut in hac sint affectus, & quod in homine dicunt animi perturbationes repositæ, uel ab hac exordium sumant.*

100 *Huic in homine, continua fit quædam uis superior, fantastica nimirum; a simulachris, nondum tamen ab omni materia,*

*ſeparans intentiones; Et qua incipiunt homines à brutis differre; & prudenter uiuere, & cum ſagacitate.*

101 *Et in qua propter ſuarum notionum incertitudinem,*

102 *(Sunt enim rerũ adhuc ſingularium, & quarum cauſa latet) Sedem habent opinio, & perſuaſio.*

103 *Vnde & omnis ars ibi, omniſq; prudentia.*

## INTELLECTVS.

140 *Ineſt autem & homini mens, Communes rerum omnium formas per uniuerſum diffuſas, ab omni materia abſtrahens, & ſuo ſinu complectens & diſtinguens.*

105 *Cuius prima aptitudo qua fit omnium ſuſceptiua, & ſine paſſione eſt intellectus potentia.*

106 *Vis autem eruens à materia formas quas illi poſtea, ut lux diaphano, porrigit, & intellectiles intellectas actu facit, intellectus agens eſt.*

107 *Ex quibus coeuntibus reſultat mens adepta.*

108 *Quæ ubi ſpeculatur, actu mens; ubi feriatur uerò mẽs habitu.*

109 *Omni tamen ex parte, & ab omni materia ſeiuncta.*

110 *Intellectus quidem potentia, quia ſit omnium & ſui met ſuſce-*

111 *Agens uerò, quia formas ipſe ſpoliat à materia.*

*ptiuus.*

112 *De reliquo iam patet.*

113 *Vndè & undequàq; immortalis erit, De foriſque accedens*

114 *Et in omnibus hominibus unus numero.*

115 *Phantaſiarum dumtaxat multiplicium ratione diſtinctus; Supereſt uis ſecundum locum progreſſiua.*

116 *Cui accidunt motum, inſtrumentum, & mouens.*

117 *Motum autem ipſum animal.*

118 *Inſtrumentum membra; per muſculos tractu & pulſu à mouente rapta.*

119 *Mouente inquam in brutis appetitu.*

120 *Et in homine uoluntate.*

121 *Quæ tamen, quamuis impropriè, mouentur adhuc ab immobili mouente bono.*

122 *Sed bono, uel falso apparenti in imaginatione, Vel uero à recta ratione, id est intellectu actiuo, ut in hominum perpaucis, præscripto.*

123 *Imaginatio tantum, quæ præsentia sunt contuitur, intellectus autem futura magis.*

124 *Sed et animæ sunt quædam paßiones naturales somnus et uigilia, & hæ quidem sensitiuæ solum & motiuæ.*

125 *Per caloris et spirituum ab exterioribus uersus principium retractione: Vel à principio, post expergefactionem, rursus uersus exteriora diffusionem.*

226 *Solent autem in somno insomnia fieri, id est inuoluntaria phãtasmatum agitatio in imaginatione.*

127 *Horum modò, alia uera, & alia falsa.*

128 *Falsa sorte & temerè fiunt, Per continuam & monstruosam imaginationis spectrorum in se productionem.*

129 *Vera autem et futura præsagiẽtia, si quam causam habent, præter in hac re somniatam Aristotelis sententiã, ipsi imaginatiuæ ab intellectu agente quasi ab uniuersali particulare defluit; Rerũ enim ille producendarum præscit oẽs rationes.*

130 *Adsunt Vltimò memoria, & reminiscentia, imaginatricem propriè, impropriè uerò mentem, quæ sine phantasia non speculetur, consectantes.*

131 *Memoria quidem habitus est post impreßionem retinens imagines quas rursus, si presto fuerint, ubi uolet expromat. Et quasi repetita phantasiæ operatio.*

132 *Vnde & ubi phantasia, sedem hæc habet.*

133 *Non autem in occipitio, quasi species sedes habeant.*

134 *Vnde & obliuio non est abolitio specierum, Sed actus ab obiecto disiunctio.*

135 *Si uerò obrutæ sint imagines, illas reminiscentia instaurat; Quasi memoriæ collapsæ rediuiua.*

136 *Quò fit, ut illa bestijs sit communis; quia & ea in qua uisa*

*imprimuntur;*

137 *Hæc uerò homini propria. Eget enim ratiocinatione, vt quando per similia, uel dissimilia, coniugata, ab intentionibus simulachra coniectans, uel contra, rei tandem ferè deperditæ memoriam recuperat.*

138 *Vtraq; præteritorum est.*

139 *Quin eget vtraq; rebus tempore, & animaduersione.*

140 *Rebus inquam, quæ tametsi absentes, suis tamen simulachris quasi præsentes appareant.*

141 *Tum & rem rei, tempus tempori, tempusq; rebus exactè comparare noscat.*

*ATQ. hæc de natura.*

## EX MATHEMATICIS DISCIPLINIS.

*Perpendendum erat secundo loco uniuersum, ut quantum;*

*Id est quæ non amplius ut naturale corpus, sed ut mathematicum pateretur, vt potè dimensiones, figuras, partium magnitudines, & proportiones. Tum & eorum quæ aspectum mouent uaria phænomena, & alia id genus.*

1 *Quorum omnium uel certissima est scientia.*

2 *Quantitas ergò abstracta primò, nouum & proprium scientiæ genus introducere potest.*

3 *Erat autem continua, uel discreta.*

4 *Illa potentia diuisibilis; Hæc uerò iam actu partes diuisas habens.*

5 *Illius partes, linea, superficies, corpus.*

6 *Quarum affectiones; ut rectitudines, curuitates, figuras, diuisibilitatem (ut me bene exprimã) ductibilitatem, mutuas connexiones; rationes, proportiones, & commensurationes, docet Geometria.*

7 *Discretæ uerò id est numeri proprietates, ut alijs alios addere, demere, augere; tum & partiri, & alia huiusmodi Arithmetica.*

8 *Hæ scientiarum omnium stabilissimæ sunt, uerèq; demõstratio-*

*tionis exemplaria.*

9 *At Arithmetica prior geometria;*

10 *Quanto unitas puncto,*

11 *Punctum enim vnum, sed cum positione & situ.*

12 *Quin & pluribus competit numerus, quàm magnitudo. Non enim ex continui diuisione numerus omnis eruitur.*

13 *Huius geometriæ usus ferè est infinitus. Ne dicam cum alijs, geometricis entibus nihil inesse boni.*

14 *Phantasiam enim ornat pulchris & rationalibus figuris, Ex quibus discimus, cur illarum aliæ & aliæ uarijs corporibus fuerint accomodatæ; ubi non minorē natura fidē sui artificij & industriæ, nec macriorem philosophandi materiā, quàm in quibusuis alijs nobis reliquit.*

15 *Geometria rursus si tollatur, maior pars labitur disciplinarū, Et radicitus omnes mechanicæ.*

16 *Rerum publicarum administrandarum recta ratio; labascit enim sine mensuris & ponderibus omnis iustitia.*

*Quid ciuitates, quomodo bene munirētur uel ædificarētur?*

## EX ASTRONOMIA.

*Huic subest Astronomia;*

1 *De cœlorum & siderum affectionibus, quas patiuntur ut quanta, tractans: Vt potè numerum orbium, uarietatē situs, radios, ordines, ambitus, cursus, mutuasq; distantias.*

2 *Quantum uia signi inuestigari potest, & a posteriori.*

3 *Vndè naturalis quidem est scientia ex parte subiecti, in quæsitis autem ut plurimum, medijs autem & demonstrandi modo, tota mathematica.*

4 *Eccentrica & epicyclos ipsa consequitur. Quos & nos admittimus, illæsis (quod magis est) naturalis philosophiæ principijs.*

## EX IVDICIARIA.

1 *Hæc ex uarijs siderum aspectibus, cœlorum constitutionibus, mu-*

*uarios subnascentes effectus obseruat.*

*Quin & nobis hominibus tametsi liberis, quasdam propensiones a cœlis insitas & sepè adeò uegetas ut uix interdum flecti possint.*

2 *Potest autem semper illas homo redigere, quia omne fatum omnemq; naturam sua voluntate supermeat.*

3 *Tot autem diuersorum euentuum causa, ad numeros Pythagoreorum more non amplius cum Ptolomeo referenda Sed adhuc latet.*

4 *Patet autem cur sidera retrograda, ubi nobis propinquiora, uegetius in hæc inferiora agant.*

*Semper autem minus benignè.*

5 *Quin & credo nostrum hoc clima suo opposito hoc æuo fœlicius esse Quod æstatem & hiemem habeat quàm illud temperatiora.*

6 *Si uerò sit assolutè loquendũ, hoc nostrũ longè illo inferius est.*

7 *Eclipticum autem omnium semper fortunatissimum.*

8 *Vt arcticus & antarcticus contra infœlicissimi.*

## EX GEOGRAPHIA.

1 *Ab astronomia pendet Geographia. Terræ id est globi unius ex terra mariq; simul dimetiens spatia & altitudines.*

## EX PERSPECTIVA.

*Subit & geometriam perspectiua. Quæ de uarijs apparentijs, & uisionibus quærit rationes.*

1 *Et omnes fieri per lineas rectas aduertit.*

2 *Et eas quidem integras, refractas, uel reflexas.*

3 *Reflexas autem semper ad angulos æquales.*

4 *Omniũ enim illa est breuissima uia, quam semper natura tẽtat.*

5 *Quæ quidem natura & oculi christallinum humorem noluit rotũdã penitus sortiri figurã; ne omnia subuersa uiderẽtur.*

6 *Huic subijciuntur architectura, pictura, & sculptura.*

7 *Magiam autem mathematicam, seu numeris, seu figuris utatur, tum ueneficam Goetiam, & Necromantiam, Turgiã, & Cabalam, & reliquas id genus præstigiosas & illusiuas ab hominis liberi fide resellendæ;*

*Demones enim esse nugæ.*

## EX MVSICA.

1 *Arithmeticæ uerò, quæ de numeris simpliciter, subest musica, Quæ de numeris sonoris.*

2 *Quorum simplices & potißimi, diapason, diapente, diatesseron, ditonus, & qui ex tono & semitono fit.*

3 *Inter quos diatesseron ditono perfectior est, contra plurimos.*

4 *Nam inter proportiones, simplices compositis, & integræ diuisis exquisitiores.*

5 *Quò fit ut inter omnes multiplex;*

6 *Et inter multiplices, dupla quàm diapason;*

7 *Particularis autem superpartiente*

8 *Et inter particulares sesqui altera, quæ Diapẽte, sunt digniores.*

## EX PRIMA PHILOSOPHIA.

MVNDVS *postremò ut ens considerandus uenit; à qua speculatione, reliquæ postea scientiæ sua principia promunt.*

1 *Ens autem mundus est non in anima, nec per accidens, sed reipsa per se extra animam.*

2 *Nec rursus quæ sunt in mundo æque omnia sunt entia;*

### SVBSTANTIA.

3 *Nam quæ non hærent subiecto, magis.*

### ACCIDENS.

4 *Quæ uerò subiecto opus habent ut sint, minus.*

Vnde

5 *Vnde ſubſtantia præ reliquis nouem ſummis rerum generibus meritò magis eſt ens.*

6 *Illis imò cauſa cur entia ſint.*

7 *Nam quid aliud illa, quàm huius diſpoſitiones ſunt?*

*Et rurſus ſubſtantia duplex (ut ſupra dictum)*

8 *Sed prima per ſe ſubſiſtit;*

9 *In hac uerò ſecunda, nec alibi.*

10 *Vt autem communis notio, exiſtit in mente noſtra*

11 *Subſtantia prima rurſus duplex corruptibilis, & illa quæ nec ortui nec interitui eſt obnoxia.*

12 *Hæc tranſmutationũ illius eſt cauſa (ut iam fuſe demõſtratũ)*

*Deueniendum enim erat ad aliquod alterans inalteratum*

*Sed utranq; ſubſtantiam nõ amplius ut corpora, imo quatenus ſubſtantiæ & entia, in ſuas primas cauſas & principia reſoluamus. Quæq; ſint hæc principia inueſtigemus, dehinc de illis diſputemus.*

13 *Sint autem hæc finita oportet, Cum & ſecundum formã (quod aiunt) tum & ſecundum rectitudinem.*

14 *Nam ubi datur medium, detur primum & ultimum oportet.*

*Eſſent alioquin in natura effectus innumeri.*

15 *Quæuis enim cauſa proprium ſortitur effectum.*

16 *Abhorret autem infinito natura.*

## SVBSTANTIA MORTALIS.

*Corruptibilis nunc ergo ſubſtãtiæ (nã de cœleſti alia eſt ratio)*

*Primam materiam, & primum efficiens, quem primum motorem nuncupabamus, ſumus in naturalibus aſſecuti.*

17 *Prima autem forma (quæ nunc hic indaganda uenit) ſit idem primus motor neceſſe eſt res tamen extrinſecus perficiens.*

18 *Idem enim ultimum agens materiam præparat, & formam introducit.*

19 *Et rurſus quis præter hunc illius ultimus alius erit finis?*

20 *Nam omnia naturalia mouentur ad opus tanquã ſummũ bonũ;*

Quia.

21 *Quia ad illius imitationem.*

## SVBSTANTIA INCORRVPTIBILIS ET COELESTIS.

22 *Cœlestium autem corporum non eadem quæ inferiorum est materia; alioquin essent & corruptibilia.*

23 *Sed magis illius uice quoddam habent subsistens subiectum; Ad locum tantummodo potentiam habens.*

24 *Imo quoddam quasi medium inter pura materialia, & ea quæ materia uacant; Vt lux nobis est argumento.*

25 *Cœli autem orbium motores eorundem formæ sint oportet, Dant enim illis esse.*

26 *Sint autem orbes animati, vel his inferioribus quorum sunt causæ essent imperfectiores;*

27 *Quatenus tamen appetunt & mouent, alijs enim animæ sarcinis & officijs immunes sunt.*

28 *Suorum orbium ergo simul & semel agens erunt finis & forma, Orbes enim propter motores.*

## INTELLIGENTIAE.

29 *Sed si tales sint hæ formæ ut et a materia abstractæ (quod supra) intellectus ergo sint oportet.*

30 *Nullus enim formis alius superest existendi modus præterquã quod uel sensiles esse uel intellectus.*

31 *Sintq; numero plures, quia plures orbes & motus (ut ab astronomia accepimus)*

32 *Nec præter hos alij nec alij intellectus, nullum enim in natura est otiosum.*

*Præsertim eorum quæ sunt omnium optima.*

33 *Sed inter illos adest ordo; Vt & inter suos orbes.*

34 *Omnesq; simul conspirant in unum; alioquin non unus esset mundus.*

35 *Quo fit ut unum detur primum sub ratione Finis, boni & desiderati illos immobiliter mouens; Cui omnes intenti, quod unum sit uniuersum causæ sunt.*

36 *Erit ergo & illorum simul & semel primum agens finis &*

37 *Sed si illorum, ergo rerum omnium.* *(forma.*

38 *Erit igitur ens entium; omnibus uitam & esse communicans.*

*His uero clarius illis obscurius.*

39 *Sed quale nam illud erit præterquã omniũ prima intelligẽtia?*

40 *Nam nulla uita quam intellectuum deliciosior esse potest; hæc enim sola seipsa contenta.*

51 *Sed si Deus fuerit intellectus, quid aliud quam seipsum intelliget? Nam ab aliorum intellectione uilesceret.*

52 *Quo fit ut solus omnium uitam uoluptuosissimam traducat, Quia seipsum solus integrè & uniformiter undequaq; cõplectitur & æquat.*

53 *Præterquem reliqua omnia quadantenus potentiæ sunt immista; Et ita non omni indignitate uacant.*

*Hæc illi comparata nimis ab eo longe desiscunt.*

54 *Hoc illud est primum unum rerum omnium principium Parmenidis, A quo ubi iam alia, quia illius opificia, degenerãt, iure iam secũ introducunt in rerum naturam quatuor summa genera Idem alterum statum & motum.*

56 *Huic deniq; merito adscribendus motus diurnus totius animalis cœlestis.*

57 *Alijs uero alij motus.*

## EX CHRISTIANA PHILOSOPHIA, ET VERE DIVINA THEOLOGIA.

*SED & in his quæ dum ad religionem spectant, magis nostra referunt, paulisper immoremur; unde nisi maiorem fidem, quam semper incolumen conseruo, lucidiorem saltem ueri-*

*ueritatem hac exercitatione mihi comparabo. Quæro ergo:*

1 *Vtrum Dei uoluntas in contraria feratur?*

2 *Necnō utrū repēti motu et noua uolūtate crearit uniuersum?*

3 *Vbi postquam hominem in ætate perfecta constituit;*

4 *Cui primo corpus deinde animam infudit; Vtrum omnes posteri tales erant naturi si immortales?*

5 *Omnes enim ante peccatum mori & non mori potuerant,*

6 *Verum id gratia magis quàm natura.*

7 *Sed utrum Deus ante reprobatorum natiuitatem, illorum præsciat miseram sortem æterni supplicij.*

8 *Vnde et illud: an Mortales liberum habeant arbitriū nec ne?*

9 *Rursus postquàm fuit necessaria diuini uerbi incarnatio ad humani generis instaurationem; Potuit ne peccare?*

*ATQ. hæc de rerum* VERITATE *quantum Christiana fides & lux naturalis suppeditare potuerunt.*

## Ex ethicis.

1 *IN cuius possessione mentis omnis perfectio latet.*

2 *Vndè & hominis præcipua fœlicitas.*

3 *Vt cuius melior pars est intellectus.*

4 *Imo quid in homine diuinum nullum ferè cū toto reliquo commercium habens.*

5 *Quin & Dei uitæ nostra contemplatrix est æmula; Hac igitur nulla beatior.*

6 *Tum quia nullius externæ rei sit indiga; Mens enim quit seipsam intelligendo perfici & fieri contenta.*

7 *Sed & altera hominis ingenua pars nempe uolūtas edocenda, Quæ bona et* PER SE EXPETENDA *sunt operari; Tunc enim demum absolutus et bonus erit homo (quod quærimus) Nam & Deus in solo sui ipsius intuitu minimè quiescit; Sed & extra se bonum omne producit.*

8 *(Quamobrem in ipsius primi boni idea tanquam reliquorum norma non abs re beatitudinem omnem Plat. collocarit)*

9 *At per se uidentur expeti, non quò nos rapit appetitus;*

*Qui magis apparentibus quàm ueris aſſentitur et oblectatur; quinetiam & brutis eſt communis; nos autem propriam hominis fœlicitatem uenamur:*

10 *Expetibilia ſunt ergò in hac parte quæ recta ratio hominibus peculiaris præcipit, Vt in qua ſunt idem uerum & bonum.*

11 *Hominis itaq; erit optimum, & per ſe expetendum ſecundum uirtutē actio, Vt quæ non corporis ſed animæ ſit perfectio. Et ad quam natæ ſint & procliues, omnes hominis ingenuæ facultates.*

12 *Quæ per ſe ſola, propter hāc uerò reliqua omnia à uiro bono expetantur.*

13 *Bono inquam, nam optimum in unoquoq; genere reliquorum eſt regula.*

14 *In illaq;, tota uiri boni uoluptas ſita.*

15 *Quin & prauum hominum genus hanc ſponte laudat; A qua ſi quid exorbitans perpetrat, in neceſsitatem uel quid huiuſmodi non uirtutis contemptum culpam referre audet.*

16 *Eſt & uirtus ut omnium optima, ſic & pulcherrima, & iucundiſsima; quæ quidem omnia uni fœlicitati competunt.*

17 *Virtus demum ex honorabilibus eſt; præter quàm ſi quid boni laude duntaxat dignum, & eouſq; alia bona, quantum illi capeſſendæ iuuant.*

18 *Beatus erit ergo qui ſecundum uirtutem operabitur.*

19 *Qui tamen non careat corporis & fortunæ bonis. Nam in omnibus quæ ad animā & corpus (ex quibus tāquam potiſsimis homo reſultat) ſpectāt, bene ſe habeat, eſt neceſſe.*

20 *Sed uirtus erat omnis habitus animæ ſecundum rationem; id eſt quiuis actus in nobis quidem a natura imbecillis, Verū induſtria humana comparatus demum & abſolutus.*

21 *Quò fit ut præ reliquis animæ proprietatibus, ut quorum nō ſit efficiēs uel autor natura, ſed nos ipſi, ſolæ decus mereantur.*

22 *Et horum alij ornandæ animæ parti (quæ mens eſt) præſunt; quorum finis ſola ſpeculatio ueritatis, ſunt enim rerum quæ ſecus ſe habere nō poſsunt, quarūq; principiū eſt natura uel*

*ſaltem*

*saltem extra nos est,*
*Doctrina uel longa rerum obseruatione comparandi.*
23 *Vt sapientia, quæ primarum causarum cognitio.*
24 *Intellectus qui principiorum,*
25 *Scientia effectus in causas reducens.*
26 *Tum & qui nostras actiones dirigunt;*
27 *Vt prudentia, quæ rerum quæ uitæ prosint uel obsint;*
28 *Ars quæ faciendorum cumulat rationes.*
29 *Alij concupiscibilem animæ partem ex seipsa absq; modo feram & in affectibus indomitam dum ratione moderantur in rationalem ferè transformant.*
30 *Ex qua actione boni uiri & fœlices secus uero praui & infœlices appellantur ibi enim honestum & turpe locum habent Et horum omnium principium in nobis est.*
31 *Et hos uirtutes moris denominant, tum quia circa mores hominum & affectus uersantur, necnon quia more & sola assuefactione concipere semelq; conceptas, fouere queant hominum ingenia.*
32 *Nam cum positi sint in affectibus pro ratione temperandis, unde & in rebus contingentibus quæ suscipiunt magis & mi-*
33 *Temperatum autem in omnibus sit medium; (nus;*
34 *Et excessus in extremis;*
35 *Et in illo uirtus;*
36 *In his uerò uitium posita sint*
37 *(Peccant enim uel quia nimis, uel quia minus, Necnon in omnibus mediocritas quod uirtutis est res conseruat, excessus uerò quod uitium est peruertit, & destruit) Medium nunc in omnibus, ut potè quod sit ad relationem, exquisitè inuenire, uel inuētum aßequi contra raptū sensuum, nisi diuturna pugna et carnis prælonga demulctione nimis erat difficile.*
38 *Sed minimè solus mentis assensus, uel sola appetitus electio, uel cuiusdam bene gesti fortuitus euentus uirtutem absoluit. Nisi simul hæc omnia concurrant.*
39 *Quo fit ut nullum ab inuito bonum.*

40 Et ignari nulla uirtus nullaue sit culpa. Modo non sit prudens ignarus.

41 Nec studiosus est, qui bene gestis non lætatur, contrarijs uero dolet: sunt enim uoluptas et dolor affectiones sectantes appetitum uel potitum uel labefactatum; unde et in his maximè uirtus & uitium posita.

42 Nec qui semel nisi qui semper bene operatur præclarum, diuinum, perenneq; studiosi nomen meretur; Quin etiam intermitteretur fœlicitas quæ debet esse continua.

43 Nunc uero medium & uirtus illud est in rebus humanis, quod rationem modi loci temporis & personæ & aliarum huiusmodi circunstantiarum seruat.

44 Extrema uerò & uitia, quæ pro illis excedunt uel deficiunt.

45 Horum autem (quod sæpius repetere conferet) libera est recta ratio benè res edocta.

46 Sensilium deliciarum medius usus temperantia, inter extrema intemperantiam & stupedinem.

47 In periculis, fortitudo, inter audaciam, & ignauiam.

48 In ira mansuetudo, inter iracundiam, & immobilitatem.

49 In pecunijs, liberalitas, inter auaritiam, & prodigalitatem.

50 In honorum appetentia, magnanimitas, inter insolentiã & pusilanimitatem.

51 In iuris nec pluris nec paucioris usurpatione, iustitia, & hæc duplex.

52 Honorum & dignitatis præmij & supplicij distributiua.

53 Quæ uero circa lucrum & damnum commutatiua.

54 Illius medium geometricum.

55 Huius arithmeticum; unde introductum est numisma, perpulchrè sane & admirabiliter, in communem mensuram.

56 SVP. est amicitia, id est boni alicui expetitio;

57 Cuius uel honestas, uel utilitas, uel iucunditas, est parens.

58 Verum illa similes ut plurimum; Reliquæ dissimiles magis mutuo afficere solent.

59 Omnium autem illa est probatissima; quæ & alias contineat

ubi

*ubi eadem ſpecie & amatori & amato ſit amicitiæ occaſio. Solumq; bonum erga bonum, non ut in alijs erga prauum, affici contingat.*

## AD AMOREM.

60 *SED & amorem tacere nequeo. Quem proprie ſumptum, nec pro concupiſcentia, non melius explices, Quam appetitus mancipationem erga pulchritudinem.* Recens amoris ab authore definitio.

61 *Poſſunt enim pulchra ſemel apprehenſa ex ſe ipſis appetitum ad ſe mouere.*

62 *At quod aiunt amorem pulchritudinis fruendæ deſiderium eſſe, uel affectus unionem, ut nouus homo Scaliger, male. Nã qui nitidi amoris exemplaria flagrantes pro amatis mortem libenter obire uoluerunt, nõ fuiſſent amantes, cuiuſmodi Ariodantes & Alceſte. Rurſus noſtri magis, quã illius erit amor fruendi libido. Quia nobis expetimus bona nõ illi Ingenue demum fateri ſolent qui candide amant, quia alijs obſequi uelle ſit uirtutis: ſibi autem, cum alterius uel pudicitiæ iactura, uel connubij noxa ſit uitium.*

63 *Solet autẽ illũ hic alter affectus, quem amorẽ impropriè uulgus nominat, cõſequi: Nã omnia bona nobis natura deſideramus.*

64 *Modo pulchritudo eſt gratia ex plurium, & contrariorum contemperatione reſultans.*

65 *Non ubi contemperata pereunt & nouam formã ſubueſtiunt*
66 *(Quo fit ut ſaporum nulla uel odorũ ferè ſit pulchritudo) Sed a quibus ſaluis iuxta poſitis, lepor ille ſubnaſcatur.*

67 *Vnde nec qualitas, nec quantitas eſt pulchritudo; Sed quippiam ſuper illa omnia.*

68 *Huius autem, illa optimè diſpoſita ſunt ſuſceptiua.*

69 *Erit autem triplex. In decoro rei cuiuſq;, prima; Quod in homine virtus.*

70 *In coloribus & delineamentis pro rationibus geometricis, uel harmonicis moderatis altera.*

71 *In ſonis poſtrema.*

*Quibus*

72 *Quibus, menti oculis & auditui tantum potiri licet.*

73 *Ergo per tactum nulla fruitio. sed magis insani furoris & brutis maximè digni expletio. Nullius enim symmetriæ & proportionis tactus est gustator.*

74 *Quò fit, ut solus homo sit pulchritudinis iudex, & potitor.*

75 *Solusque irretiatur amore.*

76 *Et inter homines, nobiliores, ut omnium perspicacissimi. Nã incogniti, quamuis inuisi, nullus amor.*

77 *Nec mirandũ si melancholicorum sint ferè indissolubiles amores; Quippè qui rem amatam, semel apprehensam, humoris tenacitate & firmitudine, phantasiæq; illis familiari agitatione, in mente continuo volutent.*

*De amoris fascinatione & insania, ne & ego insanire uidear, nulla verba.*

*Hactenus ergo de moribus, & Amoribus.*

## EX POLITICIS.

*SEd quorsum amicos? quorsum uiros hic bonos tandiu uenati sumus? quosnam amabunt? quibusue benefacient? nisi in societate degant. demum quis solus sibi sufficere potest?*

*Qui ea quæ vitam traducere tantummodo, ne dicam quæ benefaciant, subministrare sibi queat:*

1 *Petat ergo cœtus homo, ad quos est natus, & quorsum loquelam habuit.*

2 *Præter eam tamen societatem, quæ naturalis est, inter marem & fœminam, & quæ communitatum omnium est prima radix.*

3 *Verum non indifferenter sese quibuscunque fæmelis uir commiscere debet, sed pulchras eligat. Facit enim ad fœlicitatem pulchra & formosa soboles.*

4 *Vtrum autem unam, vel plures, adhuc sub iudice lis est.*

5 *Modò qualem societatem quæret? eam profectò, quæ ad bene, beateq; viuendum faciat. Non enim unius uiri boni, & mul-*

*multorum diſtincti ſunt fines;*

6 *Inmo ciuitatis, eſt illum per ſe imbecillem perficere.*

7 *Huius ergo moderandæ ratio, non alia, quàm quæ fuit in Ethicis uiri boni formandi. Nam quod ibi de iuſto, prudenti, & forti, hic de iuſtis, prudentibus, & fortibus eſt intelligendum.*

8 *Quod item vir bonus omnia peteret a ſe ipſo, ſic & ciuitas ſit ſibi ſufficiens. Vnde & de ſanitate, & fortunæ bonis huic prouidendum eſt.*

9 *Non luxurioſé tamen vel nimis parcè, ſed mediocriter. Alterum enim ſegnes, alterum ſubdolos ciues reddet.*

10 *Nec bellum ſpontaneum admittat, ut Lacedæmones, quod ciuitatis ruina; Sed magis pacem, quæ ſocietatis omnis eſt anima. Et magnum præbet opus ad fœliciter degendum.*

11 *Bellum tamen quandoq; probo, ſed quod victoria conſequuta pacem deperditam inſtauret.*

12 *Verum præter hæc in ciuitate, cui nihil poſtea deſideretur, affabre conſtituenda, ſex amplius ſunt neceſſaria: Dei cultus, numinum enim veneratione efferi magis domantur, quam metu ſupplicij, ut quorum uirtus inuincibilis, & ineuitabilis videatur;*

13 *Deinde alimenta;*

4 *Tertio artes, multis enim inſtrumentis eget uita noſtra.*

15 *Arma quarto, legum vltimum refugium.*

16 *Quinto facultas comparandarum pecuniarum, & ea mediocris, ut iam dictum;*

17 *Demum iuris adminiſtratio.*

*Modò his omnibus ſuppeditandis, Magiſtratus, & quique pro ſuis partibus idonei ſunt demandandi:*

19 *Verum ut bene delegentur, & delegatis mos geratur ciuitatis duæ ſint partes: Præcipiens, & Parens, quod in homine bene nato mens & uoluntas.*

20 *Et illa tota & nuda fermè ſit recta ratio. Quæ in hac altera quãuis mediocrior, non refert; modo illi fideliter obſequatur.*

21 *Vnde non mirum si omnes æquè in ciuitate beati non sint. Non enim pariter in homine iudicium, & concupiscentia.*

22 *Quilibet tamen fœlix, qui sine inuidia fuerit sua sorte contentus.*

23 *At præcipientes, & primates in ciuitate, vel omnes, uel plures, uel paucos, uel vnum esse contingit: vnde & tot distinctæ Respublicæ, Popularis, potentum, optimatum, & unius.*
*Et hæc rursus regia uel tyrannica;*

24 *Omnium autem est probatissima, in qua boni uiri, ut qui recta ratione, dominantur.*
*Sed quid boni? nam hodie minimè declinatur in plurali (ut cum grammaticis loquar)*

25 *Vix enim pares sine inuidia, quam bellum ciuitatis pernicies concomitatur, simul regnare possunt.*

26 *Regia ergo amplectenda, quæ superest reliquarum commendatissima.*

27 *Aliæ uero, quæ omni proportione & Arithmetica, & Geometrica uacent, pueriles sunt, & fragiles, temporaneæq;.*

28 *Verum quouis modo accidat, principes optimi sint oportet; vt in quos omnis uirtutis, & fœlicitatis normam, & fastigiũ, reliquorum omnium sint oculi coniecti; Vel quales in ciuitate forent beati?*

29 *Nam alij nisi boni uiri, modo boni ciues parum interest.*

30 *Erunt autem boni ciues, ubi pro ratione conspirabunt omnes in communem salutem & bonum; Instar uniuersi motorum, & rectorum; Nam ita magis foret beata Respub. & perennis, quæ mundi iustitiam æmulabitur.*

31 *Quò fit ut nullus optimus sit Reipub. moderator, qui sit naturalis Philosophiæ & Methaphysicæ ignarus; Nam quomodo bonum huius, uel illius, ut potè ciuitatis discernat qui primi boni ideam, ut reliquorum bonorum regulam, non fuerit in primis assecutus? (Eonãq; primo cognoscimus, quod prima cuiusq; generis mensura) Et quas leges component, qui ciuium mores et ingenia, imo nondũ seipsos cognouerũt?*

*Bea-*

32 *Beatæ ergo Respub. in quibus uel Philosophi regnabunt, uel Reges philosophabuntur.*

*Habeant saltem magistratus Philosophos in legum latores, quorum sanctiones postea hominum fideli generi tradant administrandas; Vnde iuris ministri uocitentur.*

*Qui minimè quicquam in consulto Philosopho audeant innouare.*

*Nam uel a scopo aberrabũt, uel quicquã temerè pronũtiabũt.*

Vnde fuerint introducti Iuris consulti quos Vulgus Legistas vocat.

## IN LEGVM HODIERNOS PROFESSORES.

33 *Vt qui lupanaria, & fenora, luxuriosa nimis libertate in ciuitate concedunt; Quorum altero nihil adolescentibus, qui ciuitatis thesaurus, Altero uerò plebi, quæ Reipub. brachiũ, perniciosius potest contingere.*

34 *Extra rem uero (ut secum paulisper iocer) ius triplex faciunt. Gens enim a ciuitate ratione minimè differt, nisi quantum fœtus unius a gemellis.*

*Nam certa ciuitatis est periodus, & magnitudo, certusq; ciuium numerus, qui superfœtans nouas alibi quærat sedes oportet, easdem tamen leges & mores retinens.*

35 *At quid dicas ubi ius naturale brutis commune definiunt? Quasi quibus negata ratio anima iuris, ius ipsum sine seipso illis impertiri queat, rursus quomodo ubi nulla iniuria ibi ius esse poterit?*

36 *Memini etiam beatas istas leges magis pupillis quàm uiduis fauere, non aduertentes ætatis imbecillitatem interdum emendatum iri, sexus uero nunquam.*

*At hæc sunt mitiora, audite magis nouum:*

37 *Iudicem qui contra quam deposuerint testes suis met oculis crimen uiderit successisse, sinunt insontem cruciare, reum uero impunitum dimittere, cõtra ius omne, modò fuerit (quod aiunt) secundum allegata & probata, Apagesis nam horrore obmutesco.*

*SED popularis pars ciuitatis, quæ legibus erat moderanda, ut cui imperitæ, uiuēdi ratio debebat a prudētibus esse præscripta, prius quàm ui, & metu, assensu libero erat ad uirtutem inuitanda, & a turpibus absterrenda; At nudis Philosophiæ traditionibus erat inepta, ut quæ turbidam apprehensionē habet; Quin effera, & quæ Phantasmatibus magis quàm recta ratione uiuit, non cuilibet legitimè imperanti libenter auscultat; nisi etiā ad id sensu & affectu moueatur.*

*Accedit ad hæc, quia sola doctrina doctos, uirtutis autem studiosos appetitus assensio facit; Sub rerum ergo sensilium, ut earū quæ maximè mouent, aspectu & imitatione fuerunt homines prouocandi.*

1 *Vnde Poetica; Quæ sub urbano risu, uel admiratione, tāquàm sub esca, rudium, imo & peritorum animos allectat, honestum instruit, & bene educat.*

*Sed in quibus artibas nomen profiteatur uideamus;*

2 *Nam cum aliæ sint facientes, aliæ uero imitantes, in his mehercule est reponenda.*

3 *At imitantium rursus, aliæ sub rebus inanimatis, aliæ sub animatis res fingunt.*

4 *Illius generis sunt Sculptura, et Pictura, sed quæ solum oculū mouent, & decipiunt.*

5 *Quarum hæc solis coloribus & umbris in superficie.*

6 *Illa uero delineatis solidis corporibus.*

7 *Quæ uero rebus animatis omnes sensus illudit, est Poetica.*

8 *Quæ proculdubio inter liberales & homine maxime dignas facultates reponenda uidetur.*

9 *A sapientia nihil fere differens; Nisi quia Philosophia rerum quæ sunt extra animam uera sit in anima imitatio; Poetica uero sit illarū per nos ipsos de foris repræsentatio.*

10 *Vnde nullus absolutus Poeta foret quin sit & Philosophus; Nam quomodo res omnes effingere poterit, quas in mente primum*

*mum non conceperit?*

11 *Hanc merito Plato Artiũ omnium quasi introductricẽ tenet.*

12 *Et Aristoteles, nullum optimum fore Poetam, qui in res omnes sese fere non transformet, & abstrahi sinat; At res omnes sapientis anima est.*

13 *Huius autem subiectum ex antedictis; erit res hominum imitatione expressa animos afficiens.*

14 *Quæ nisi fuerit uera (accidit enim raro ut quæ sunt gesta, quantũ uult Poeta moueãt) Sit tamẽ uerisimilis oportet, et quæ poßit esse, Impoßibilium enim nulla fides, nec opinio.*

15 *Vnde differt ab Historia: quia hæc quæ uera sunt, sincerè narrat; Illa uerò quæ rem quamq; decet refert adamußim, & nomina rebus imponit.*

16 *Ideoq; est uniuersalior.*

17 *Vt plurimum igitur pro subiecto fabulam habet, ab historia tamen desumptam.*

18 *Fabula autem id est res ficta altera simplex, altera implexa; id est quæ in maximas mutationes deducit ut Peripetiam uel Agnitionem.*

19 *Hæc illa tanto præstantior, quanto magis mouet; Non enim uehementer afficiunt, quæ eodem modo se semper habent.*

21 *Sed in omni fabula ut sit decens, desideratur Magnitudo.*

22 *Nam in hac, quæ tamen careat excessu, sita est rerũ omnium*

23 *Nam parua ob exiguitatem oculum effugiunt; (pulchritudo.*

24 *Nimis uero grandia uno intuitu complecti non possunt.*

25 *Dicitur et fabula una quia sit unius actionis uel unius personæ; Vnde iure notatur Ariostus, qui eodem carmine plures actiones concluserit implicitas.*

26 *Et omnis imitatio Poetæ est secundũ mores, sententias, dictionem, & melodiam.*

27 *Poetica nunc alia Epodia, alia Scenica.*

28 *Scenica rursus uel dũ audientes urbano risu perfundit, a turpibus et ridiculis reuocare quærit; vel ducendo in admirationem, ad magna prouocare.*

*Illa*

29 *Illa est comœdia, tractat enim de ridiculis, & ideo uile hominum genus introducit exitusq; iucundos finit;*

30 *Hæc autem Tragœdia; Quæ dum mouet per admiranda & ea uel miserabilia in commiserationem, uel per terribilia ad metum, mœstos & turbulentos exitus facit.*

31 *Magis autem id sortietur si inter consanguineos cruentos illos successus fingat ut patrem, et filium; Hostem enim hosti malefacere nimis familiare, & ideo minus mouet; Quamobrē illustre hominum genus imo medium inter Deos & homines intromittit.*

*Atq; hæc de Poetica.*

## Ex RHETORICIS.

*NVNC ad eam quæ persuasionem quærit; Quæ Rhetorica est, id est ars bene dicendi;*

1 *De quibuscunq; subeuntibus hominis uoluntatem orationem formare ualens; Vt Topica disputationem.*

2 *Differentes tamen, quia solum hæc controuersiæ uictoriam; Illa uero non eo contenta, uoluntatis assensionem affectat.*

3 *Tum ubi Topica thesim, altera semper hypothesim propositam habet; De uniuersalibus enim nulla persuasio.*

4 *Vnde maximo eget hæc artificio; Fide nimirum, & motu.*

5 *Vtrunq; autem efficiendi uis, est posita in rebus, & uerbis; Et his inueniendis & collocandis.*

6 *Res autem ducuntur vel ab orantis persona; ut probitate, & autoritate, id est prudentia;*

7 *Vel a locis communibus, a quibus de quoq; rerum genere trahitur disputatio.*

8 *Quæ tot sunt, quot rerum genera quæ sub persuasionē cadunt.*

9 *Res autem huiusmodi, alioquin infinitæ, distinguuntur pro uaria auditorum ratione; Nam auditor aut tantum est auscultator, aut orationis moderator.*

10 *Illi delectationem parat orator,*

*Quò sit ut de iucundis & honestis, vel his contrarijs tractet; Vnde de his quæ præsens tempus respiciunt.*

11 *Moderator autem uel de præteritis, quatenus iusta, uel iniusta fert iudicium.*

*Aut de futuris, id est quatenus vtilia, uel inutilia.*

12 *Ex quibus subnascuntur tria causarum genera exornationis, iudicij, & deliberationis.*

13 *Exornationis igitur erunt loci uirtutes, et uitia; Quamobrem in Ethicis optimè sit uersatus orator oportet.*

14 *Iudicij uerò argumenta sunt leges, & ius scriptum, uel non scriptum; vtriusq; cognitio oratori necessaria.*

15 *Qui uero deliberat non solum quod simpliciter bonum, sed quod cuiq; commodum dijudicet; Nihil enim est utile quàm quod alicui bonum.*

16 *Quod duplex uel toti ciuitati, uel singulis in parte; vnde & in Politicis sit peritus orator & calleat singularium rerũ vsum; quæ pro uarijs hominum conditionibus huic, uel illi opem ferre possunt.*

17 *Nec hæc iam dicta simpliciter, sed inter honesta quæ sint honestiora, & vtilia quæ sint utiliora.*

*Et hæc de rebus inueniendis ad faciendam fidem.*

18 *Modus autem collocandi per Enthymema, & exemplum illud idẽ opus huic negotio præstantia, quod Topicæ syllogismus, & inductio.*

*Modò secundo loco affectus mouere quærit declamator.*

19 *Ergo, quid affectus, quot numero quibùsue generentur, et quo modo, nempe de ira, misericordia, & reliquis huiusmodi discat orator oportet; unde optimè sit in Philosophia uersatus.*

*Nunc ad uerba;*

20 *Quæ quatenus ad dictionẽ spectãt, uel simplicia, uel cõiũcta.*

21 *In simplicibus proprietas;*

22 *In coniunctis, numerus, & mentis ad unguem expreßio considerantur.*

23 *Hoc autem præstabit enuntiatio si fuerit dilucida, breuis, illustris,*

*ſtris, ſuauis, & probabilis.*

24 *Orationis modo, perfectæ (quod opus eſt oratoris) partes per quas hæc omnia methodice digeruntur, ſunt principium, narratio, confirmatio, & epilogus.*

25 *Quarum extremæ mouent; Prima, animos præparans & captans uel a rebus, uel a perſonis;*

26 *Mediæ vero docent.*

27 *Sed præter hæc deſideratur Pronuntiatio id eſt oratoris motus geſtus, & uultus, vociſq; ad orationem accommodatio.*

28 *Quæ omnia præſtabit adamuſſim ſi ut alios uult affici, ipſe, mediocriter tamẽ, affici ſeſe primo ſinat. Per ſympathiã enim animæ ſeſe maxime mutuò mouent.*

## EX RE MEDICA.

*TOT autẽ animi dotes quæ alterã hominis partem exornãt ſine bona alterius quæ corpus eſt habitudine infelices eſſẽt. Eget enim anima corpore tanquam inſtrumento & Architetonica manũaria. Quin & ſibi ipſis omnia flagitia communia faciunt. Ita ut mentis actio quantumuis a corpore abſtracta hoc læſo lædatur & ipſa. Boni igitur corporis habitus id eſt ſanitatis, erat habenda ratio.*

1 *Cuius cura quantũ arte perfici poteſt fuit medicinæ demandata*

2 *Medicinæ inquam, quæ naturæ tantum eſt ſagax miniſtra.*

3 *Nam cũ hominis ſanitas ideſt ad omnes actiones libera, & bene diſpoſita facultas in optima elementorum contemperatione, ſimilarium partium, & diſſimilarium ſtructura ſit poſita, et ut uidere eſt plurium contrariorum harmonia ſeu ſymmetria, unde & pluribus iniurÿs idq; minima occaſione obnoxia.*

4 *(Quæ tamen ad duo capita referuntur, Quorum alterum eſt cõtinua ſecundum naturam corporeæ ſubſtãtiæ diminutio, corpore hũmano, quia calidum, & humidum, apprimè a natura exiſtente fluxibili;*

*Altera*

5 *Altera illius præter naturam vitiata conſtitutio ) Fit ut naturæ illic bonum habitum conſeruanti , hic uero iam deperditum inſtaurare nitenti , duæ medicinæ partes tutrix , & curatrix ſamulentur .*

6 *Conſeruat autem per ſimilia & inſtaurat per contraria .*

7 *Res autem quarum uſus hic operæpretium facit , & extrinſecus induſtria medici adminiſtrandæ ſex numero ſunt (non naturales uulgus uocat ) Cibus & potus , ſomnus & uigilia , motus & quies , repletio & inanitio,aer ambiens,& animi perturbationes .*

8 *Quorum moderatus uſus ideſt pro ſubſtantiæ , quantitatis,qualitatis , & aliarum circunſtantiarum ratione , iuuat . Si uero preter modum , morbum inducit .*

9 *Verum nõ æqua eſt omnibus hæc librandi ratio; Magnam enim admittit latitudinem ſanitas humana ; Nec omnium eadem eſt in omnibus nec geometrica , nec Arithmetica proportio ; Vnde in his diſtinguendis peritus artifex medicus erit .*

10 *Aſſequetur autem in omnibus normam per ſigna & ea quæ ſenſibus apparent vt colorem figuram uarios motus , & functiones et alia huiuſmodi .*

11 *Vbi verò manifeſte uiolata eſt ſanitas , quod per læſam actionem dignoſcitur , Tunc adeſt morbus , & ipſe curandus .*

12 *Morbus autem ideſt praua conſtitutio , uel tantum in ſimplicibus qualitatibus, ideſt inæquali intemperie , uel iam in ſubſtantia poſitus .*

13 *Subſtantia rurſus , uel ſimilarium , uel diſſimilarium .*

14 *Similarium rurſus , ſpirituum , humorum uel partium ſolidarum :*

15 *Diſſimilarium verò , ubi illarum fuerit uitiata magnitudo , numerus , ſitus , et figura .*

16 *His autem omnibus in ſubſtantia collocatis communis eſt ſolutio continui .*

17 *Quæ vel intemperies iniuſtè , accuſantur doloris eſſe cauſæ .*

*Nam uera et immediata est recessus ab eo quod secundum naturam, in id, quod contra naturam est; Voluptatis autem contra (quod iam alibi dictum)*

18 *In similaribus autem ubi morbi magis dominantur, calor præter naturam accensus, et primo cordi adhærescens, febris est*

19 *Qui si tantum in spiritibus excedat, diaria.*

20 *In humoribus autẽ ubi calor a putredine solet excitari si æquè in omnibus synochus, et continua;*

21 *Si uerò in aliquo solo et eo bile, Tertiana.*

22 *Si Pituita, Quotidiana.*

23 *Si Melancholia, Quartana 24. Si uero complicati humores, et complicatæ febres generantur.*

25 *Qui rursus uel in uasis, uel extra uasa putrescunt; illic nunquam intermittit, febris.*

26 *(Quamuis deprimatur) hic uero penitus intermittit.*

27 *Quorum periodorum uarietas ab humorum putrescentiũ maiori vel minori copia naturali, faciliori uel difficiliori resolutione, & nõ aliunde pendet.*

*Ad curationem modo.*

28 *Quæ per contraria, ut antea paulo dictum, & ad quæ nos ducit indicatio.*

29 *Sed ea contraria potius eligenda quæ causæ quã quæ affectui opponuntur (Non enim semper eadem) ob id quia in omnibus delendis prima principia sunt eradicanda.*

*Non tamen negligendus affectus nec symptomata de quibus aliqua est habenda ratio.*

30 *Sed his obstat quæ contra indicant uires nimirum ad quas in primis medicus aduertat oportet. Nihil enim quam has conseruare uel reficere hæc ars postulat.*

31 *Ad utrunq; igitur spectet & ita ut in pleniori potius quàm in tenuiori uictu modum præterire minus pudeat*

*Sed illa per se dignoscere nimis erat difficile.*

32 *Quo fit ut introducta fuerint coindicantia et cõtraindicantia. Vt ætas; cœli status, regio temperamentum, pars laborans, consue-*

consuetudo & alia huiusmodi.

33 Ab his ergo inter medendum hæc deducitur methodus vt simplex simplex contrarium, genus genus, species speciem, differentia differentiam ostendat.

34 Instrumenta autē curatricis sunt inedia curatio & chirurgia.

35 A quorum leuioribus si suffecerint semper est inchoandum.

36 Alioquin extremis morbis extrema remedia;
Sed priusquam curetur morbus est dignoscendus:
Nam incogniti nulla curatio morbi;

37 Eo autem nos ducunt symptomata & excreta

38 Vt ad vires dignoscendas pulsus.

Atq; hæc de Re medica.

ADIECTA Sunt ea quæ sequuntur Paradoxa, & problemata in uberiorem disputandi campum.

πρός λογιώτατον πόντιον τῶν θεσεῶν ὑπερασπιστήν.
Επίγραμμα.

Φιλίππου ῥωβέρτου τοῦ καβιλῶνος.

Νῦν μούσαις ἰατρῶν τε χόροις τὰ τρόπαια προσαρτῶ
πόντιος ἐν κρυφίῃ χρυσός Ακεσορίη:
Ε'νθα πόνων κ' ἀρετῆς πολυμόχθοιο δεῖγμα ποριζων
παῖς τε φίλος Φοίβου, χ' ἱπποκράτους τρόφιμος.
Α'λλὰ πατρὶ Φοίβῳ μάλα ἴκελος, εἴτε προσώπῳ,
Εἴτε λόγοις, χορδαῖς καὶ τὸν ἔρωτα κλαίειν.


Τάχ' αὔριον ἔσσετ' ἄμεινον.

# OPT. ET EXCELL. VIRO MARCO ANTONIO CAPRAE SERENISS.

DVCIS EMANVELIS

Primo Medico, & de sua Academia moderatori benemeritiss.

Pontius Renaldus S.



VM HAS NOSTRAS QVAESTIVNCVLAS partim PARADOXA partimq; problemata contra communem religionem & dogma, quasi nauiculam cōtra rapientis Rhodani uel Padi filum essemus obuecturi (Opt. & excell. Capra) Non erat sanè uulgariū hominum industria in hac re imploranda: facile siquidem est, & cuiq; imperito nautæ leue, pro flantibus auris nauigare; Sed solus potest expertus peritissimusq; inuito Borea ad portum appellere nauim: Te unū igitur hac tempestate eximia & singulari probitate, doctrina, experientia, prudentiaq; virum, & in florentissima nostra artium academia bene moderanda quasi Iouis, & Saturni rotas partesq; gerentem, nunc in meum fauorem, tutelam & propugnaculum esse mihi subtrahendum operæpretium existimaui; ut illum sanè qui si mihi fauere non recusabit; dum nihil amplius habet cum alijs hominibus commune, sed per eam quam iam diu sibi comparauit auctoritatem & fidem super alios & præter communem opinionem fastigiat, has etiam præter communem opinionem sententias, quas alij fortasse monstra credidissent, faciet ut ego magna cum fiducia, pro tritis & familiaribus axiomatibus audeam uendere & sustentare; & eò magis quia nihil veritati & rationi (quamuis hominum superstitioni) si sano iudicio sumantur, obstare uideri debeat. Bene ergo de te sentientem, & audacter sperantem animum quæso minime frustreris. Vale. & semper, ut hucusq; fecisti, fœliciter floridam nostram Academiam moderare.

# PARADOXA, PARTIMQ. PROBLEMATA IN CANDIDORVM DISPVTATORVM GRATIAM.

## LOGICVM.

1 LONGE est imperfectius cum Logica, quam sine logica scire.

## EX DIVINA ET NATVRALI PHILOSOPHIA.

2 *Ignarus Sapienti longe beatior.*
3 *Omnia entia sunt ad aliquid.*
4 *Et tantum differunt secundum magis uel minus.*
5 *Sed nullas ens diuisiones pati potest.*
6 *Materia perficit formam.*
7 *Mundus nec est, nec non est.*
8 *Sed utrum stat, an mouetur?*
9 *Necnon utrum est in loco?*
10 *Verùm locus nihil est.*
11 *Minus quicquam est tempus:*
12 *Nullumq; cœlum.*
13 *Quot sydera tot intelligentiæ.*
14 *Nullus ignis.*
15 *Aer suapte natura frigidus.*
16 *Terra ubi pura nigerrima.*
17 *Nigerq; color longe perfectior albo; qui si mutuò cōferantur illæ formæ, hic uerò priuationis rationem præ se fert.*
18 *Et inter animantia, sors hominis miserrima.*
19 *Et Bruta sunt magis quàm ille rationalia.*
20 *Sed utrum omnibus una tantū numero sit mens et intellectus?*
21 *Verùm quàm stultè quidam memoriam in occipitio collocant.*

Ri-

22 *Ridiculosius adhuc qui duriorem uel molliorem cerebri substantiam facere credunt ad faciliores apprehensionem & memoriam.*

23 *Dolor nullo pacto sentitur.*

24 *Sed utrum semen hominis sit homo.*

## EX MEDICINA.

25 *Nec solutio continui, nec intemperies doloris causæ sunt.*

26 *Nec lapis in vesica uel alia huiusmodi, nec praua corporis constitutio morbus est; ut nec uitiata proportio est ipsa dissonantia quæ obstrepit auditui.*

27 *An conuulsio fiat ex inanitione?*

28 *Nunquàm purgandum superne.*

29 *Nec prandium, nec cœna pleniora debent simpliciter statui; sed illud eorum quæ spiritus reficiunt, hoc autem eorũ quæ solidiores partes.*

## EX MATHEMATICIS.

30 *Arithmetica prior est Geometria.*

31 *Punctum est diuisibile.*

32 *Si ab æqualibus demas æqualia, quæ remanẽt nõ sunt æqualia.*

## EX ETHICIS.

33 *Nullus homo malus.*

## AMATORIA.

34 *Non est amor desiderium fruendæ pulchritudinis uel affectus vnionis.*

35 *Minus est in corde uel in hepate collocandus.*

POE-

36 *Poetica omnem philoſophiam, & ſapientiam excellit.*

## IN LEGVM PROFESSORES.

37 *Leges perdunt homines; bonos fruſtrantur, uirtutem & omnẽ benè operandi occaſionem è medio tollunt.*

38 *Nec malos caſtigant, nam uel penitus à naturà delent uel infames & inutiles extra aliorum numerum abijciunt.*

Tuebitur Pontius Renaldus, quamdiu non tædebit excell. Doctores candidiſs. q; Iuuenes illuc conuenire. Aggredietur autem octauo Idus Decembris hor.